Theodoro Birt

s.

De fortunae
in Plutarchi operibus notione.

Antecedit fortunae notionis brevis historia.

Dissertatio inauguralis

quam ad summos in philosophia honores

ab amplissimo philosophorum Marpurgensium ordine

rite impetrandos

scripsit

Eugenius Lassel,

Coronensis.

Marpurgi Cattorum.

MDCCCLXXXXI.

Si fortunae notionis in Graecis litteris historiam contuemur, gravem in ea mutationem imperio Alexandri magni effectam esse intellegimus, cum ante Alexandri imperium tyches in historia populorum vis non multum commemoretur, postea ipsa ut omnium rerum regina celebretur. Quae tyche plerumque in scriptis historicorum apparens diligenter ab ea, quae cultu Graecorum adorabatur, internoscenda est, ita ut probandum sit eius cultum iam optimis Graeciae temporibus et antea quam magnam auctoritatem apud historiarum scriptores habuerit, effloruisse. Postea autem quamquam cultus quoque latius amplificabatur, tamen in primis historici tychen accipientes ut summam rerum humanarum reginam praedicabant.

De fortunae in prioris temporis Graecorum litteris auctoritate ac vi iam multi viri illustrissimi disseruerunt [1]), nisi quod eius

---

1) Cf. Nägelsbach, Nachhomerische Theologie des griechischen Volksglaubens, Nürnberg 1857, qui p. 153 sqq. ostendit secundum deos paullatim *μοῖραν* et postea aliam impersonalem vim, *τύχην*, exstitisse, quae ut fors et casus in dies maioris momenti ac ponderis in hominum vitam fuit et cum confessione hominum et populorum libertate Graeciae amissa moribus et ingeniis perditorum hebetumque optime convenit et congruit. De fortunae significatione, praesertim quod ad posterius tempus attinet, scripsit Welcker, Griechische Götterlehre II, p. 799 sqq. Brevem fortunae notionis historiam in primis Homerum, Pindarum, Aristophanem, Demosthenem et nonnullos philosophos respicientem explicavit etiam K. Lehrs, Populäre Aufsätze aus dem Altertum, vorzugsweise zur Ethik und Religion der Griechen. II. ed. Leipzig 1875, p. 175 sqq. De tyches in Graecis amorum fabulis significatione disseruit E. Rohde, Der griechische Roman und seine Vorläufer, Leipzig 1876, p. 276 sqq.

notionem in scriptis historicorum posteriorum apparentem parum illustraverunt. Nobis in hac dissertatione in primis ad tyches in Plutarchi operibus notionem explanandam aggredientibus rei tractandae dignitati aptum videtur, hanc notionem in Graecis litteris et nascentem et crescentem et adultam brevi contemplari.

Fortuna ab Homero (hymn. in Cer. 420) et Hesiodo (theog. 360) commemorata non ea esse videtur, quae postea ut Fortuna praedicabatur, quamquam Pausanias (IV. 30) Homeri locum afferens annotat prius non apparere Fortunam. Alcman, cum praecipue rei publicae Tychen spectet, eam sororem Justitiae atque filiam divinae Providentiae nominat [1]). Nonnullae urbes Fortunam prae ceteris adorantes praeclara templa aedificabant, ita ut maturum Tyches cultum per totam Graeciam diffusum reperiremus [2]). Sine dubio tyche priore tempore maioris momenti fuit ad cultum quam ad litteras ac priorum animis magis ut dea hominibus secunda ac propitia percepta est quam ut dubia variaque fortuna atque casus, quae cognitio multo post exorta est.

Pindarus tychen in hymno praedicaverat (fragm. 13, p. 565 Boeckh.), quam aliis quoque carminibus urbium salutem [3]), filiam *Ζηνὸς Ἐλευθερίου* et *Σώτειραν* dicit (Olymp. XII. 1 sqq.) praedicans ab ea terra marique bella hominumque consilia

---

De tyche, praesertim quod ad ancipitem eius significationem attinet, confer etiam explicationem apud L. Schmidt, Ethik der alten Griechen, Berlin 1882. I. p. 52 sqq. Quae scripta cum omnia tum Welckerum et infra saepius conferas volo.

1) Plut. de Rom. fort. 4: *ἀλλὰ μᾶλλον Εὐνομίας καὶ Πειθοῦς ἀδελφὰ καὶ Προμαθείας θυγάτηρ', ὡς γενεαλογεῖ Ἀλκμάν.*

2) De tyches cultu, imaginibus, templis conferantur Zoëga, Tyche u. Nemesis. Abhandlungen 1817, p. 32 sqq. K. Lehrs, l. c., p. 180. L. Preller, Griechische Mythologie I, p. 334 sqq.; Römische Mythologie, p. 552 sqq., ubi varia Fortunae genera in templis adoratae nominantur: F. Fors, Virgo, Publica sive Populi Romani, Privata, Muliebris, Equestris, Barbata, Virilis, Seia, Respiciens, Obsequens, Viscata, Dubia, Brevis, Manens, Mammosa, Redux, Tranquilla, Dux, Primigenia. Quorum templorum permulta nominat Plut. de Rom. fort. 5. 10. Quaest. Rom. 74.

3) Plut. de Rom. fort. 4: *'οὐ μὲν γὰρ ἀπειθὴς' κατὰ Πίνδαρον 'οὐ δὲ δίδυμον στρέφουσα πηδάλιον'.*

recte gubernari. Videmus hic gravem seriamque deam medio in mundi divino ordine stantem ac veteri religioni optime accommodatam, quam etiam Aeschylus et Sophocles saepius commemorant (Choëph. 51. 771. Agam. 664. Oed. R. 1080; quin hic etiam hymnum in tychen scripserat, Bergk, Lyr. III. ed. p. 1352 sq.). Paullatim fortunae cognitio in omnibus Graecorum cogitationibus maiore auctoritate florere coepit, ita ut Herodotus eam saepius afferat, quamvis fingens quasi a diis missam, cum etiam speciem neglecti deorum cultus evitans plerumque *θεία* vel *ἐκ τοῦ θείου* vocabula addat: VII. 10: *εἰ γὰρ καὶ ἐναντιωθῆναί τι θέλει, βεβούλευται μὲν οὐδὲν ἧσσον εὖ, ἕσσωται δὲ ὑπὸ τῆς τύχης τὸ βούλευμα· ὁ δὲ βουλευσάμενος αἰσχρῶς, εἰ οἱ ἡ τύχη ἐπίσποιτο, εὕρημα εὕρηκε, ἧσσον δὲ οὐδέν οἱ κακῶς βεβούλευται.* A Thucydide iam ut gravissima rerum gestarum regina affertur, quae etiamsi intimas hominum cogitationes et consilia minime dirigere vel mutare possit, quae extra homines sunt sortes insolenter constituit regitque, ita ut praeter tralaticios deos nova rerum domina esse videatur, non caeca, sed secundum obscura et ab hominibus inexplorata consilia mortalium sortes gubernans. I. 140: *διόπερ καὶ τὴν τύχην, ὅσα ἂν παρὰ λόγον ξυμβῇ, εἰώθαμεν αἰτιᾶσθαι.* I. 144: *γνώμῃ δὲ πλείονι ἢ τύχῃ καὶ τόλμῃ μείζονι ἢ δυνάμει.* II. 42: *καὶ δι᾽ ἐλαχίστου καιροῦ τύχης ἅμα ἀκμῇ τῆς δόξης μᾶλλον ἢ τοῦ δέους ἀπηλλάγησαν.* III. 45: *τὴν εὐπορίαν τῆς τύχης.* III. 97: *τῇ τύχῃ ἐλπίσας.* IV. 64: *ἧς οὐκ ἄρχω τύχης.* V. 75: *τύχῃ μὲν ὡς ἐδόκουν κακιζόμενοι, γνώμῃ δὲ οἱ αὐτοὶ ἔτι ὄντες.* V. 104: *χαλεπὸν μὲν καὶ ἡμεῖς, εὖ ἴστε, νομίζομεν πρὸς δύναμίν τε τὴν ὑμετέραν καὶ τὴν τύχην, εἰ μὴ ἀπὸ τοῦ ἴσου ἔσται, ἀγωνίζεσθαι· ὅμως δὲ πιστεύομεν τῇ μὲν τύχῃ ἐκ τοῦ θείου μὴ ἐλασσώσεσθαι.* V. 112: *ἀλλὰ τῇ δὲ μέχρι τοῦδε σῳζούσῃ τύχῃ ἐκ τοῦ θείου πιστεύοντες.* VII. 68: *πρὸς οὖν ἀταξίαν τε τοιαύτην καὶ τύχην ἀνδρῶν ἑαυτὴν παραδεδωκυῖαν πολεμιωτάτων ὀργῇ προςμίξωμεν.* Xenophon quoque *θείαν τύχην* commemorat Hist. Gr. VII. 1: *ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτῷ δοκεῖ ταῦτα οὐκ ἀνθρωπίνῃ μᾶλλον ἢ θείᾳ φύσει τε καὶ τύχῃ διωρίσθαι.* Cyrop. VII. 2: *τοῦτο γὰρ ἡ τύχη καὶ ἔχειν*

τὸ ἀπὸ τοῦδε δίδωσι σοὶ καὶ ἐμοὶ προςαγορεύειν. Cf. Anab. V. 2. Hist. Gr. VI. 4.

Quinto a. Chr. n. saeculo nobis fortuna saepissime in illis verbis publicis *ἀγαθῇ τύχῃ* offertur [1]), quae ad omnes res adhuc crescentes nec perfectas, ut optime evenirent, conferebantur. In praefationibus donationum, sacrorum, decretorum Graeci *τύχης ἀγαθῆς* meminisse solebant postea plerumque *εὐτυχίας* nominatae (Demosth. V. 11), deae cum alibi tum Athenis cultu florentis. Ita tyches cognitio longe lateque se pandebat in Graeci populi opinione quarti saeculi a rhetoribus Atticis praeclare manifestata omnium rerum humanarum gubernatricem praedicantibus. Sed prae fortuna dii imperium suum obtinebant, nec nisi raro diffidentibus dubitatio movebatur, an diis potentior vel sola sit quae consulat generi humano vis (Eurip. Cycl. 606. Hec. 491). Aristophanes quoque (Pax 939. Aves 544) perinde atque Euripides (Phoen. 1209) diis tychen adiungunt et Plato (leges IV. 709) docet: *ὡς θεὸς μὲν πάντα καὶ μετὰ θεοῦ τύχη καὶ καιρὸς τὰ ἀνθρώπινα κυβερνῶσι σύμπαντα.* Oratores vero Attici [2]), in primis Demosthenes et Aeschines, primi imperium omnium rerum humanarum fortunae tribuunt. Dem. II. 22: *μεγάλη ῥοπὴ μᾶλλον δὲ ὅλον ἡ τύχη παρὰ πάντ' ἐστι τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα.* Aeschin. f. leg. 131: *διὰ τὴν τύχην, ἣ πάντων ἐστὶ κυρία.* Ea omnes secundos rerum rei publicae proventus afferre et periculosas expeditiones ad finem secundum perducere potest. Dein. I. 29: *τῆς ἀγαθῆς τύχης ἡμᾶς ἐπὶ τὸ βέλτιον ἀγούσης.* Dem. XIX. 55: *τῶν παρὰ τῆς τύχης εὐεργεσιῶν.* IV. 12: *τύχη, ἥπερ ἀεὶ βέλτιον ἢ ἡμεῖς ἡμῶν ἐπιμελούμεθα.* Sed etiam rerum publicarum adversarum causam haec dea praebet. Dem. XVIII. 303: *ἢ δαίμονός τινος ἢ τύχης ἰσχὺς ἢ στρατηγῶν φαυλότης ἢ τῶν προδιδόντων τὰς πόλεις ὑμῶν κακία ἢ πάντα ταῦτα.* Fortuna atque hominum virtus coniunctae magna perficiunt. Aeschin. II. 118: *ἡ μὲν τύχη καὶ Φί-*

---

1) vide documenta apud Lehrs, l. c., p. 178 sq.

2) Cf. H. Meufs, Die Vorstellungen von Gottheit und Schicksal bei den attischen Rednern. Fleckeisens Jahrbücher 139 (1889), p. 445 sqq.

λιππος ἦσαν τῶν ἔργων κύριοι. Mutabilitatem quoque et inconstantiam deae iidem oratores leviter obscureque significant.

Graeci cum valde proni essent ad res humana vel divina specie instruendas, tyche magis magisque verae deae speciem accipiebat, ita ut homines ei pro beneficiis gratias persolvere possent (Dem. I. 11. XLIII. 67). Saepius cum Moera et Daemone coniuncta adorabatur. Eurip. Iphig. Aul. 1137: ὦ πότνια μοῖρα καὶ τύχη δαίμων τ' ἐμός. Αὐτόματον quoque pro eo stat, immo Τύχη Αὐτοματία aliquando nobis offertur. Plutarchus (Timol. 36) enarrat Timoleontem rebus Syracusis feliciter gestis Αὐτοματίᾳ templum consecrasse, ut deorum ad bonum eventum adiuvantium memor fuisse videatur.

Sic ante Alexandri imperium et in cultu et in litterarum variis generibus nobis occurrit tyches notio, quae quidem rei publicae minime periculosa existumabatur, dum populus laboriosus validusque officia sua exsequebatur, cum confideret tychen et deos iis modo auxilium ferre, qui suas ipsorum vires experiri et adhibere non remitterent. Homines, cum rerum mutabilitatem et inconstantiam timerent, novae huic divinae potestati se subiecerunt et maximam verecundiam praestiterunt. Sed summam auctoritatem fortuna tum demum adipisci potuit, cum nulla fere esset diis apud homines fides [1]). Quod accidebat quarto a. Chr. n. saeculo.

Veteris deorum cultus exitium proxima simul et necessaria causa fuit qua robur ac virtus Graecae gentis propria naturaque insita senesceret et interiret. Moribus corruptis si nulla inest genti vis vigorque nec iam ex sua ipsius natura novas sollertes atque ingeniosas vividasque cogitationes et consilia capere potest, alieni mores ab exterioribus gentibus irruentes, quos evitare non possumus et quos vires nostras regeneraturos ac refecturos esse speramus, cupide accipiuntur. Ita Graeci quoque et Romani libenter aliena sacra et caerimonias receperunt et a Chaldaicis, Aegyptiacis, Etruscis vaticinationibus et oraculis magnopere moti sunt [2]).

---

1) L. Preller, Griechische Mythologie I, 334 sqq.
2) E. Curtius, Altertum und Gegenwart, Berlin 1875 I, 178.

Itaque robore ac virtute Graecorum paullatim senescente cum tota Graecia subiceretur, Alexandri imperium non solum populorum res condicionesque, sed etiam sententias et cogitationes vehementissime mutavit; nam ingentes clarissimi Macedoniae regis triumphos atrocia diadochorum et epigonorum certamina insequebantur, quibus victoria victoriae, clades cladi insistebat ac magna regna occupabantur et invertebantur, ita ut hominibus magna omnium rerum varietate ac mutatione fluctuantibus brevi persuasum esset, insolentem casum fortunamque regere res humanas. Antequam Graeciae libertas periit, tyche semper omnium bonorum causa praedicata est, nunc autem ut gravior vis recipienda et potestas maxima auctoritate praedita atque ad humanas res — sive bonas sive malas — plurimum valens agnoscenda erat.

Cum omnia bona eventa fortuna effecisse videretur, homines victorias adepti fortunae filii praedicabantur. Diadochi et epigoni omnino sic appellati sunt; immo Demetrium Poliorceten [1]), qui in hymno tychen praedicaverat, Athenienses deum celebravere (Athen. VI. 63). Diadochorum tempore in regum tychen, postea in Romanorum imperatorum fortunam iurare solebant.

Sed etiam aliis hominibus, urbibus, gentibus, certis locis, hominum factis, omnibus anni diebus sua tyche erat. Tyches ut bonae Fortunae cultus per urbes provinciasque Romani imperii, ubi omnis urbs quasi suam ipsius imaginem *τύχης πόλεως* specie ac figura exprimere solebat, late diffusus erat; cuius in deae honorem Romani imperii tempore magna sollemnia (*Τυχεῖα*) instituebantur, quia urbem acriter custodiebat atque melius quam veteres urbis dei paullatim e cultu depulsi consulere urbi videbatur. Apparet igitur fortunam post Alexandrum in cultu quoque in dies maiore hominum gratia floruisse.

Primus theoretice et magis ex artis praeceptis tyches no-

---

1) Plutarch, Demetrius 35: *ἀλλ' ἡ τύχη περὶ οὐδένα τῶν βασιλέων ἔοικεν οὕτω τροπὰς λαβεῖν μεγάλας καὶ ταχείας κτλ. Διό καί φασιν αὐτὸν ἐν ταῖς χείροσι μεταβολαῖς πρὸς τὴν τύχην ἀναφθέγγεσθαι τὸ Αἰσχύλειον· σύ τοί με φυσᾷς, σύ με καταίθειν δοκεῖς.*

tionem ad certam formam redegit Aristoteles, qui compluribus scriptorum suorum locis *αὐτομάτου* et *τύχης* notiones perscrutatus praecipue earum inter se rationem diligentius exploravit, quibus ex disquisitionibus ille pseudoplutarcheus *περὶ εἱμαρμένης* qui fertur libellus pendet [1]). Sed liceat nobis de iis, quae exposuit Aristoteles de intima tyches natura, paullo plura afferre adhibita larga materia, quam Bonitzius in indice Aristotelico exhibuit [2]).

Notionem *τύχης* explicat Aristoteles in Phys. II. 4—6, cum initio perscrutationis dicat, cap. 4: *λέγεται δὲ καὶ ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον τῶν αἰτίων, καὶ πολλὰ καὶ εἶναι καὶ γίνεσθαι διὰ τύχην καὶ διὰ τὸ αὐτόματον.* Commemorat multos dubios esse, utrum sit *τύχη* necne. Esse nonnullos, qui defendant nihil *τύχῃ*, sed omnia certis e causis fieri; veteres quoque sapientes omnia ad certa *αἴτια* retulisse. Deinde homines affert dicentes alia *τύχῃ*, alia certis e causis fieri; bestias et homines nullo modo *τύχῃ* factos esse, sed caelum et mundum *τύχῃ* nec talem *αἰτίαν* habere qualem bestiae et homines. Quas sententias omnes *ἀτόπους* nominans haec fere docet: *εἰσὶ δέ τινες οἷς δοκεῖ εἶναι αἰτία μὲν ἡ τύχη, ἄδηλος δὲ ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ ὡς θεῖόν τι οὖσα καὶ δαιμονιώτερον.* Tum *τύχης* notionem diligentius perscrutatur, cap. 5: *Πρῶτον μὲν οὖν, ἐπειδὴ ὁρῶμεν τὰ μὲν ἀεὶ ὡσαύτως γενόμενα τὰ δὲ ὡς ἐπὶ πολύ, φανερὸν ὅτι οὐδετέρου τούτων αἰτία ἡ τύχη λέγεται οὐδὲ τὸ ἀπὸ τύχης, οὔτε τοῦ ἐξ ἀνάγκης καὶ ἀεὶ οὔτε τοῦ ὡς ἐπὶ πολύ· ἀλλ' ἐπειδὴ ἔστιν ἃ γίγνεται καὶ παρὰ ταῦτα, καὶ ταῦτα πάντες φασὶν εἶναι ἀπὸ τύχης, φανερὸν ὅτι ἔστι τι ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον· τά τε γὰρ τοιαῦτα ἀπὸ τύχης καὶ τὰ ἀπὸ τύχης τοιαῦτα ὄντα ἴσμεν.* Dicit eorum quae fiunt, alia fieri alia non fieri gratia alicuius. *ἔστι δ' ἕνεκά του ὅσα τε ἀπὸ διανοίας ἂν πραχθείη καὶ ὅσα ἀπὸ φύσεως. τὰ δὴ τοιαῦτα ὅταν κατὰ συμβεβηκὸς γένηται, ἀπὸ τύχης φαμὲν εἶναι.* Ea causa quae est per se, definita

---

1) Cf. p. 36.
2) Aristotelis opera ed. academia regia Borussica vol. V. Index Aristotelicus, p. 780.

est, ea vero quae est per accidens, indefinita: namque uni infinita accidere possunt. *καθάπερ οὖν ἐλέχθη, ὅταν ἐν τοῖς ἕνεκά του γιγνομένοις τοῦτο γένηται, τότε λέγεται ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ ἀπὸ τύχης.* Exemplis allatis disputat: *δῆλον ἄρα ὅτι ἡ τύχη αἰτία κατὰ συμβεβηκὸς ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν τῶν ἕνεκά του· διὸ περὶ τὸ αὐτὸ διάνοια καὶ τύχη· ἡ γὰρ προαίρεσις οὐκ ἄνευ διανοίας· ἀόριστα μὲν οὖν τὰ αἴτια ἀνάγκη εἶναι, ἀφ' ὧν ἂν γένοιτο τὸ ἀπὸ τύχης. ὅθεν καὶ ἡ τύχη τοῦ ἀορίστου εἶναι δοκεῖ καὶ ἄδηλος ἀνθρώπῳ, καὶ ἔστιν ὡς οὐδὲν ἀπὸ τύχης δόξειεν ἂν γίγνεσθαι. πάντα γὰρ ταῦτα ὀρθῶς λέγεται, ὅτι εὐλόγως. ἔστι μὲν γὰρ ὡς γίνεται ἀπὸ τύχης· κατὰ συμβεβηκὸς γὰρ γίνεται, καὶ ἔστιν αἴτιον ὡς συμβεβηκὸς ἡ τύχη.* Postquam exposuit, qua re differant inter se ratio et fortuna, sic fere pergit: *τύχη δὲ ἀγαθὴ μὲν λέγεται, ὅταν ἀγαθόν τι ἀποβῇ, φαύλη δέ, ὅταν φαῦλόν τι, εὐτυχία δὲ καὶ δυςτυχία, ὅταν μέγεθος ἔχοντα ταῦτα.* Affirmat insuper fortunae prosperitatem incertam esse non sine ratione dici, cum ipsa fortuna incerta sit. Deinde exponit interesse inter fortunam et casum, cap. 6: *διαφέρει δ' ὅτι τὸ αὐτόματον ἐπὶ πλεῖόν ἐστι· τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τύχης πᾶν ἀπὸ ταὐτομάτου, τοῦτο δ' οὐ πᾶν ἀπὸ τύχης.* Maxime autem separari dicit id, quod a fortuna fit, in hisce, quae natura fiunt. *ὅταν γὰρ γένηταί τι παρὰ φύσιν, τότε οὐκ ἀπὸ τύχης ἀλλὰ μᾶλλον ἀπὸ ταὐτομάτου γεγονέναι φαμέν. ἔστι δὲ καὶ τοῦτο ἕτερον. τοῦ μὲν γὰρ ἔξω τὸ αἴτιον, τοῦ δ' ἐντός.* Intellegimus igitur Aristotelem *τύχην* eodem modo *αἴτιον* esse quam *νοῦν* et *φύσιν* iudicare..

Sed aliis quoque locis perscrutatur Aristoteles explicatque *τύχης* notionem. De gen. et corr. II. 6: *τὰ γινόμενα φύσει πάντα γίγνεται ἢ ἀεὶ ὡδὶ ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τὰ δὲ παρὰ τὸ ἀεὶ καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ ἀπὸ τύχης.* De caelo, II. 8: *ἅμα δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς φύσει τὸ ὡς ἔτυχεν, οὐδὲ τὸ πανταχοῦ καὶ πᾶσιν ὑπάρχον τὸ ἀπὸ τύχης.* Analyt. post. I. 30: *τοῦ δ' ἀπὸ τύχης οὐκ ἔστιν ἐπιστήμη δι' ἀποδείξεως. οὔτε γὰρ ὡς ἀναγκαῖον οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὸ ἀπὸ τύχης ἐστίν, ἀλλὰ τὸ παρὰ ταῦτα γινόμενον.* Eth. Eud. VII. 14: *ἀλλὰ μὴν ἥ γε φύσις αἰτία ἢ τοῦ ἀεὶ*

ὡσαύτως ἢ τοῦ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, ἡ δὲ τύχη τοὐναντίον. εἰ μὲν οὖν τὸ παραλόγως ἐπιτυγχάνειν τύχης δοκεῖ εἶναι. Problem. XV. 3: οὐ γὰρ δὴ ἀπὸ τύχης γε αὐτὸ ποιοῦντες φαίνονται καὶ ἀεί· τὸ δὲ ἀεὶ καὶ ἐπὶ πάντων οὐκ ἀπὸ τύχης, ἀλλὰ φυσικόν. De caelo, I, 12: τὸ μὲν γὰρ αὐτόματόν ἐστι καὶ τὸ ἀπὸ τύχης παρὰ τὸ ἀεὶ καὶ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἢ ὂν ἢ γινόμενον. De gen. et corr. II. 6: τύχη ἐπὶ τούτων ὀνομάζεται, ἀλλ᾽ οὐ λόγος.

Alio loco (Eth. magn. II. 8) quaerens auctor, ἡ τύχη πότερον φύσις ἢ νοῦς ἢ λόγος ὀρθὸς ἢ ἐπιμέλειά τις θεῶν, affirmat nihil ex hisce esse τύχην. Nam talia docet: οὔτ᾽ ἂν εἴποι τις τὴν τύχην ὡς ἐστὶ φύσις. ἡ γὰρ φύσις ἀεὶ οὗ ἐστὶν αἰτία, τούτου ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἢ ὡσαύτως ποιητική ἐστιν, ἡ δέ γε τύχη οὐδέποτε, ἀλλ᾽ ἀτάκτως καὶ ὡς ἔτυχεν. διὸ ἡ τύχη ἐν τοῖς τοιούτοις λέγεται. οὔτε δὴ νοῦν γέ τινα ἢ λόγον ὀρθόν· καὶ γὰρ ἐνταῦθα οὐχ ἧττόν ἐστι τὸ τεταγμένον καὶ τὸ ἀεὶ ὡσαύτως, ἡ δὲ τύχη οὔ. διὸ καὶ οὗ πλεῖστος νοῦς καὶ λόγος, ἐνταῦθα ἐλαχίστη τύχη, οὗ δὲ πλείστη τύχη, ἐνταῦθ᾽ ἐλάχιστος νοῦς. ἀλλ᾽ ἆρά γε ἡ εὐτυχία ἐστὶν ὡς ἐπιμέλειά τις θεῶν; ἢ τοῦτ᾽ οὐκ ἂν δόξειεν; τὸν γὰρ θεὸν ἀξιοῦμεν κύριον τῶν τοιούτων τοῖς ἀξίοις ἀπονέμειν καὶ τἀγαθὰ καὶ τὰ κακά, ἡ δὲ τύχη καὶ ἀπὸ τῆς τύχης ὡς ἀληθῶς ὡς ἂν τύχῃ γίνεται. Qui locus, cum sciamus Magna Moralia quae dicuntur non ab Aristotele esse conscripta, discipulos quoque eius quaestioni operam dedisse docet.

Sed affert philosophus hasce quoque τύχης definitiones. Metaphys. X. 8: ἡ τύχη δ᾽ αἴτιον κατὰ συμβεβηκὸς ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν τῶν ἕνεκά του γιγνομένοις. διὸ περὶ ταὐτὸ τύχη καὶ διάνοια· προαίρεσις γὰρ οὐ χωρὶς διανοίας. τὰ δ᾽ αἴτια ἀόριστα ἀφ᾽ ὧν ἂν γένοιτο τὰ ἀπὸ τύχης. διὸ ἄδηλος ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ καὶ αἴτιον κατὰ συμβεβηκός, ἁπλῶς δ᾽ οὐδενός. Phys. II. 5: ἡ τύχη αἰτία κατὰ συμβεβηκὸς ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν τῶν ἕνεκά του. — ὅθεν καὶ ἡ τύχη τοῦ ἀορίστου εἶναι δοκεῖ καὶ ἄδηλος ἀνθρώπῳ. — ἔστιν αἴτιον ὡς συμβεβηκὸς ἡ τύχη, ὡς δ᾽ ἁπλῶς οὐδενός. — ὥστ᾽ ἐπειδὴ ἀόριστα τὰ οὕτως αἴτια, καὶ ἡ τύχη ἀόριστον. Phys. II. 8: ἡ γὰρ τύχη τῶν κατὰ συμβεβηκὸς αἰτίων. Porro

Aristoteles *τὴν τύχην παράλογόν τι* nominat. Rhet. I. 5: *ἔστι δὲ καὶ τῶν παρὰ λόγον ἀγαθῶν αἰτία τύχη.* Phys. II. 5: *καὶ τὸ φάναι εἶναι τι παράλογον τὴν τύχην ὀρθῶς.* Eth. Eud. VII. 14: *τὴν τύχην τιθέασιν αἰτίαν ἀνάλογον ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ.* Commemorat etiam *τύχην ἀβέβαιον.* Phys. II. 5.

Sed videamus nunc, quibuscum aliis notionibus Aristoteles *τὴν τύχην* coniunxerit. Saepius latiore sensu legimus coniunctum *αὐτόματον καὶ τύχην.* Metaphys. I. 3: *οὐδ᾽ αὖ τῷ αὐτομάτῳ καὶ τῇ τύχῃ τοσοῦτον ἐπιτρέψαι πρᾶγμα καλῶς εἶχεν.* De part. anim. I. 1: *τὸν δ᾽ οὐρανὸν ἀπὸ τύχης καὶ τοῦ αὐτομάτου τοιοῦτον συστῆναι.* Phys. II. 5: *τότε λέγεται ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ ἀπὸ τύχης.* Metaphys. VI. 7: *τούτων δέ τινες γίγνονται καὶ ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ ἀπὸ τύχης παραπλησίως ὥσπερ ἐν τοῖς ἀπὸ φύσεως γιγνομένοις.* Iddem est *τύχη καὶ ἀταξία.* De part. anim. I. 1: *ἐν ᾧ ἀπὸ τύχης καὶ ἀταξίας οὐδ᾽ ὁτιοῦν φαίνεται.* Saepius etiam *τέχνην καὶ τύχην* coniungit Aristoteles. Eth. Nic. VI. 4: *καὶ τρόπον τινὰ περὶ τὰ αὐτά ἐστιν ἡ τύχη καὶ ἡ τέχνη, καθάπερ καὶ Ἀγάθων φησὶ "τέχνη τύχην ἔστερξε καὶ τύχη τέχνην"* (cf. Agath. fr. 6). Rhet. I. 5: *αἰτία δ᾽ ἐστιν ἡ τύχη ἐνίων μὲν ὧν καὶ αἱ τέχναι.* De part. anim. I. 1: *ἡ δὲ τέχνη λόγος τοῦ ἔργου ὁ ἄνευ τῆς ὕλης ἐστίν. καὶ τοῖς ἀπὸ τύχης ὁμοίως.*

Sed contra ponuntur etiam *τέχνη* et *τύχη.* Metaphys. I. 1: *ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ὡς φησὶ Πῶλος, ὀρθῶς λέγων, ἡ δ᾽ ἀπειρία τύχην.* VI. 7: *τῶν δὲ γιγνομένων τὰ μὲν φύσει γίγνεται, τὰ δὲ τέχνῃ, τὰ δὲ ἀπὸ ταὐτομάτου.* XI. 3: *ἡ γὰρ τέχνῃ ἢ φύσει γίγνεται ἢ τύχῃ ἢ τῷ αὐτομάτῳ.* Poët. 14: *ζητοῦντες γὰρ οὐκ ἀπὸ τέχνης ἀλλ᾽ ἀπὸ τύχης εὗρον τὸ τοιοῦτον παρασκευάζειν ἐν τοῖς μύθοις.*

Saepius *τύχην* opponit Aristoteles *φύσει.* Metaphys. VI. 7: *τούτων δέ τινες γίγνονται καὶ ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ ἀπὸ τύχης παραπλησίως ὥσπερ ἐν τοῖς ἀπὸ φύσεως γιγνομένοις.* XI. 3: *ἢ γὰρ τέχνῃ ἢ φύσει γίγνεται ἢ τύχῃ ἢ τῷ αὐτομάτῳ.* De part. anim. I. 1: *οἱ δὲ τῶν μὲν ζῴων ἕκαστον φύσει φασὶν εἶναι καὶ γενέσθαι, τὸν δ᾽ οὐρανὸν ἀπὸ τύχης καὶ τοῦ αὐτομάτου τοιοῦτον συστῆναι, ἐν ᾧ ἀπὸ τύχης καὶ ἀταξίας οὐδ᾽

ὁτιοῦν φαίνεται. Pol. I. 2: *ἐκ τούτων οὖν φανερὸν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστί, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον, καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν καὶ οὐ διὰ τύχην ἤτοι φαῦλός ἐστιν ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος.*

Locutio *ἀπὸ τύχης* opponitur locutioni *ἐξ ἀνάγκης.* De interpret. 9: *οὐδὲν ἄρα οὔτε ἔστιν οὔτε γίνεται οὔτε ἀπὸ τύχης οὔθ' ὁπότερ' ἔτυχεν, οὐδὲ ἔσται, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης ἅπαντα καὶ οὐχ ὁπότερ' ἔτυχεν.* Rhet. I. 10: *τῶν μὲν οὖν μὴ δι' αὑτοὺς τὰ μὲν διὰ τύχην πράττουσι τὰ δ' ἐξ ἀνάγκης.* De interpret. 9: *οὐδὲν ἄρα ὁπότερ' ἔτυχεν οὐδὲ ἀπὸ τύχης ἔσται· εἰ γὰρ ἀπὸ τύχης, οὐκ ἐξ ἀνάγκης.*

Praeterea opponitur *τύχη* et *προαιρέσει* et *ἀρετῇ.* Analyt. post. II. 11: *ἀπὸ τύχης οὐδὲν ἕνεκά του γίνεται.* Rhet. I. 9: *τὰ συμπτώματα καὶ τὰ ἀπὸ τύχης ὡς ἐν προαιρέσει ληπτέον.* Fragm. 88: *εἰ ἔστιν ἀρετή, οὐκ ἔστι τύχη.* Phys. II. 6: *ὕστερον τὸ αὐτόματον καὶ ἡ τύχη καὶ νοῦ καὶ φύσεως.*

Aristoteles distinguit *τύχην ἀγαθήν* ab *εὐτυχίᾳ.* Phys. II. 5: *τύχη ἀγαθὴ μὲν λέγεται, ὅταν ἀγαθόν τι ἀποβῇ, φαύλη δέ, ὅταν φαῦλόν τι, εὐτυχία δὲ καὶ δυςτυχία, ὅταν μέγεθος ἔχοντα ταῦτα.* Metaphys. X. 8: *ἀγαθὴ τύχη καὶ κακὴ ὅταν ἀγαθὸν ἢ φαῦλον ἀποβῇ. εὐτυχία δὲ καὶ δυςτυχία περὶ μέγεθος τούτων.*

Angustiore sensu *τύχη* a *τῷ αὐτομάτῳ* distinguitur. Phys. II. 6: *τὸ ἀπὸ τύχης πᾶν ἀπὸ ταὐτομάτου, τοῦτο δ' οὐ πᾶν ἀπὸ τύχης. ἡ μὲν γὰρ τύχη καὶ τὸ ἀπὸ τύχης ἐστὶν ὅσοις καὶ τὸ εὐτυχῆσαι ἂν ὑπάρξειεν καὶ ὅλως πρᾶξις. διὸ καὶ ἀνάγκη περὶ τὰ πρακτὰ εἶναι τὴν τύχην. — ἐν τοῖς ἁπλῶς ἕνεκά του γινομένοις, ὅταν μὴ τοῦ συμβάντος ἕνεκα γένηται οὗ ἔξω τὸ αἴτιον, τότε ἀπὸ ταὐτομάτου λέγομεν· ἀπὸ τύχης δέ, τούτων ὅσα ἀπὸ ταὐτομάτου γίνεται τῶν προαιρετῶν τοῖς ἔχουσι προαίρεσιν.*

Plerumque *γίνεσθαι ἀπὸ τύχης* dicitur, sed etiam *διὰ τύχην* et *κατὰ τύχην.* Eth. Nic. I. 4: *οὐ γὰρ ἔοικε τοῖς γε ἀπὸ τύχης ὁμωνύμοις.* Poët. 9: *τὸ θαυμαστὸν οὕτως ἕξει μᾶλλον ἢ εἰ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου καὶ τῆς τύχης, ἐπεὶ καὶ τῶν ἀπὸ τύχης ταῦτα θαυμασιώτατα δοκεῖ, ὅσα ὥσπερ ἐπίτηδες φαίνεται γεγονέναι.* Anal. post. 1. 30: *τοῦ ἀπὸ τύχης οὐκ ἔστιν ἐπι-*

Aristoteles *τὴν τύχην παράλογόν τι* nominat. Rhet. I. 5: *ἔστι δὲ καὶ τῶν παρὰ λόγον ἀγαθῶν αἰτία τύχη*. Phys. II. 5: *καὶ τὸ φάναι εἶναι τι παράλογον τὴν τύχην ὀρθῶς*. Eth. Eud. VII. 14: *τὴν τύχην τιθέασιν αἰτίαν ἀνάλογον ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ*. Commemorat etiam *τύχην ἀβέβαιον*. Phys. II. 5.

Sed videamus nunc, quibuscum aliis notionibus Aristoteles *τὴν τύχην* coniunxerit. Saepius latiore sensu legimus coniunctum *αὐτόματον καὶ τύχην*. Metaphys. I. 3: *οὐδ' αὖ τῷ αὐτομάτῳ καὶ τῇ τύχῃ τοσοῦτον ἐπιτρέψαι πρᾶγμα καλῶς εἶχεν*. De part. anim. I. 1: *τὸν δ' οὐρανὸν ἀπὸ τύχης καὶ τοῦ αὐτομάτου τοιοῦτον συστῆναι*. Phys. II. 5: *τότε λέγεται ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ ἀπὸ τύχης*. Metaphys. VI. 7: *τούτων δέ τινες γίγνονται καὶ ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ ἀπὸ τύχης παραπλησίως ὥσπερ ἐν τοῖς ἀπὸ φύσεως γιγνομένοις*. Iddem est *τύχη καὶ ἀταξία*. De part. anim. I. 1: *ἐν ᾧ ἀπὸ τύχης καὶ ἀταξίας οὐδ' ὁτιοῦν φαίνεται*. Saepius etiam *τέχνην καὶ τύχην* coniungit Aristoteles. Eth. Nic. VI. 4: *καὶ τρόπον τινὰ περὶ τὰ αὐτά ἐστιν ἡ τύχη καὶ ἡ τέχνη, καθάπερ καὶ Ἀγάθων φησὶ "τέχνη τύχην ἔστερξε καὶ τύχη τέχνην"* (cf. Agath. fr. 6). Rhet. I. 5: *αἰτία δ' ἐστιν ἡ τύχη ἐνίων μὲν ὧν καὶ αἱ τέχναι*. De part. anim. I. 1: *ἡ δὲ τέχνη λόγος τοῦ ἔργου ὁ ἄνευ τῆς ὕλης ἐστίν. καὶ τοῖς ἀπὸ τύχης ὁμοίως*.

Sed contra ponuntur etiam *τέχνη* et *τύχη*. Metaphys. I. 1: *ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ὡς φησὶ Πῶλος, ὀρθῶς λέγων, ἡ δ' ἀπειρία τύχην*. VI. 7: *τῶν δὲ γιγνομένων τὰ μὲν φύσει γίγνεται, τὰ δὲ τέχνῃ, τὰ δὲ ἀπὸ ταὐτομάτου*. XI. 3: *ἢ γὰρ τέχνῃ ἢ φύσει γίγνεται ἢ τύχῃ ἢ τῷ αὐτομάτῳ*. Poët. 14: *ζητοῦντες γὰρ οὐκ ἀπὸ τέχνης ἀλλ' ἀπὸ τύχης εὗρον τὸ τοιοῦτον παρασκευάζειν ἐν τοῖς μύθοις*.

Saepius *τύχην* opponit Aristoteles *φύσει*. Metaphys. VI. 7: *τούτων δέ τινες γίγνονται καὶ ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ ἀπὸ τύχης παραπλησίως ὥσπερ ἐν τοῖς ἀπὸ φύσεως γιγνομένοις*. XI. 3: *ἢ γὰρ τέχνῃ ἢ φύσει γίγνεται ἢ τύχῃ ἢ τῷ αὐτομάτῳ*. De part. anim. I. 1: *οἱ δὲ τῶν μὲν ζῴων ἕκαστον φύσει φασὶν εἶναι καὶ γενέσθαι, τὸν δ' οὐρανὸν ἀπὸ τύχης καὶ τοῦ αὐτομάτου τοιοῦτον συστῆναι, ἐν ᾧ ἀπὸ τύχης καὶ ἀταξίας οὐδ'*

ὁτιοῦν φαίνεται. Pol. I. 2: *ἐκ τούτων οὖν φανερὸν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστί, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον, καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν καὶ οὐ διὰ τύχην ἤτοι φαῦλός ἐστιν ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος.*

Locutio *ἀπὸ τύχης* opponitur locutioni *ἐξ ἀνάγκης*. De interpret. 9: *οὐδὲν ἄρα οὔτε ἔστιν οὔτε γίνεται οὔτε ἀπὸ τύχης οὔθ' ὁπότερ' ἔτυχεν, οὐδὲ ἔσται, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης ἅπαντα καὶ οὐχ ὁπότερ' ἔτυχεν.* Rhet. I. 10: *τῶν μὲν οὖν μὴ δι' αὑτοὺς τὰ μὲν διὰ τύχην πράττουσι τὰ δ' ἐξ ἀνάγκης.* De interpret. 9: *οὐδὲν ἄρα ὁπότερ' ἔτυχεν οὐδὲ ἀπὸ τύχης ἔσται· εἰ γὰρ ἀπὸ τύχης, οὐκ ἐξ ἀνάγκης.*

Praeterea opponitur *τύχη* et *προαιρέσει* et *ἀρετῇ*. Analyt. post. II. 11: *ἀπὸ τύχης οὐδὲν ἕνεκά του γίνεται.* Rhet. I. 9: *τὰ συμπτώματα καὶ τὰ ἀπὸ τύχης ὡς ἐν προαιρέσει ληπτέον.* Fragm. 88: *εἰ ἔστιν ἀρετή, οὐκ ἔστι τύχη.* Phys. II. 6: *ὕστερον τὸ αὐτόματον καὶ ἡ τύχη καὶ νοῦ καὶ φύσεως.*

Aristoteles distinguit *τύχην ἀγαθήν* ab *εὐτυχίᾳ*. Phys. II. 5: *τύχη ἀγαθὴ μὲν λέγεται, ὅταν ἀγαθόν τι ἀποβῇ, φαύλη δέ, ὅταν φαῦλόν τι, εὐτυχία δὲ καὶ δυςτυχία, ὅταν μέγεθος ἔχοντα ταῦτα.* Metaphys. X. 8: *ἀγαθὴ τύχη καὶ κακὴ ὅταν ἀγαθὸν ἢ φαῦλον ἀποβῇ. εὐτυχία δὲ καὶ δυςτυχία περὶ μέγεθος τούτων.*

Angustiore sensu *τύχη* a *τῷ αὐτομάτῳ* distinguitur. Phys. II. 6: *τὸ ἀπὸ τύχης πᾶν ἀπὸ ταὐτομάτου, τοῦτο δ' οὐ πᾶν ἀπὸ τύχης. ἡ μὲν γὰρ τύχη καὶ τὸ ἀπὸ τύχης ἐστὶν ὅσοις καὶ τὸ εὐτυχῆσαι ἂν ὑπάρξειεν καὶ ὅλως πρᾶξις. διὸ καὶ ἀνάγκη περὶ τὰ πρακτὰ εἶναι τὴν τύχην. — ἐν τοῖς ἁπλῶς ἕνεκά του γινομένοις, ὅταν μὴ τοῦ συμβάντος ἕνεκα γένηται οὗ ἔξω τὸ αἴτιον, τότε ἀπὸ ταὐτομάτου λέγομεν· ἀπὸ τύχης δέ, τούτων ὅσα ἀπὸ ταὐτομάτου γίνεται τῶν προαιρετῶν τοῖς ἔχουσι προαίρεσιν.*

Plerumque *γίνεσθαι ἀπὸ τύχης* dicitur, sed etiam *διὰ τύχην* et *κατὰ τύχην*. Eth. Nic. I. 4: *οὐ γὰρ ἔοικε τοῖς γε ἀπὸ τύχης ὁμωνύμοις.* Poët. 9: *τὸ θαυμαστὸν οὕτως ἕξει μᾶλλον ἢ εἰ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου καὶ τῆς τύχης, ἐπεὶ καὶ τῶν ἀπὸ τύχης ταῦτα θαυμασιώτατα δοκεῖ, ὅσα ὥσπερ ἐπίτηδες φαίνεται γεγονέναι.* Anal. post. 1. 30: *τοῦ ἀπὸ τύχης οὐκ ἔστιν ἐπι-*

στήμη δι᾽ ἀποδείξεως. Fragm. 508: *ἡ δὲ παῖς εἰςελθοῦσα δίδωσιν εἴτε ἀπὸ τύχης εἴτε καὶ δι᾽ ἄλλην τινὰ αἰτίαν τῷ Εὐξένῳ.* Rhet. I. 5: *ὅλως τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν ἐστὶν ἀπὸ τύχης, ἐφ᾽ οἷς ἐστὶν ὁ φθόνος.* I. 10: *ἔστι δ᾽ ἀπὸ τύχης μὲν τὰ τοιαῦτα γιγνόμενα, ὅσων ἥ τε αἰτία ἀόριστος καὶ μὴ ἕνεκά του γίγνεται καὶ μήτε ἀεὶ μήτε ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μήτε τεταγμένως.* II. 15: *περὶ τῶν ἀπὸ τύχης γιγνομένων ἀγαθῶν, δι᾽ ὅσα αὐτῶν καὶ τὰ ἤθη ποιὰ ἄττα συμβαίνει τοῖς ἀνθρώποις, λέγωμεν ἐφεξῆς.* II. 17: *διὰ τὰ γιγνόμενα ἀγαθὰ ἀπὸ τῆς τύχης.* Pol. VII. 1: *τῶν μὲν γὰρ ἐκτὸς ἀγαθῶν τῆς ψυχῆς αἴτιον ταὐτόματον καὶ ἡ τύχη, δίκαιος δ᾽ οὐδεὶς οὐδὲ σώφρων ἀπὸ τύχης, οὐδὲ διὰ τὴν τύχην ἐστίν.* Phys. II. 4: *πολλὰ καὶ εἶναι καὶ γίνεσθαι διὰ τύχην.* Rhet. I. 10: *τῶν μὲν οὖν μὴ δι᾽ αὐτοὺς τὰ μὲν διὰ τύχην πράττουσι τὰ δ᾽ ἐξ ἀνάγκης.* Pol. V. 3: *συμβαίνει ἐνίοτε τοῦτο καὶ διὰ τύχας.* Eth. Nic. I. 11: *πολλῶν γινομένων κατὰ τύχην.*

Quibus ex locis omnibus apparet Aristotelem *τύχης* notionem novam reddidisse et posterioribus scriptoribus ut magnam et gravem *αἰτίαν* tradidisse, ita ut ei quasi splendidiorem et graviorem auctoritatem addidisse videatur.

Sed tamen quamvis animus populorum ad tychen plane recipiendam iam propensus esset, alii philosophi eam vehementer reiecerunt, quippe qui in omni rerum varietate ac mutationibus animi tranquillitatem retinendam edicebant. Epicurus, quamquam rei publicae deos neglegens, cum suas de rerum origine ac causa hominumque sorte cogitationes haberet, vulgi opinioni favit, tamen sapientem minime a fortuna commoveri gravissimasque res suo consilio ac virtute regere affirmavit. Cynici, cum remoti ab oculis populi vitam suam in solitudine et abstinentia transigerent, fortunae nullam ansam ad vim suam demonstrandam praebuerunt et stoici [1]) audacter sententiam expresserunt nihil minoris quam fortunam momenti esse ad

1) Cf. Simplicius, Phys., 74b. Marcus Aurelius, *Τὰ εἰς ἑαυτόν* II. 3. Cleanthes, Hymn. Plutarchus, De fato, 7. Seneca, De beneficiis IV. 8. Tacitus, Ann. III. 18; VI. 22. Hist. I, 4. Cf. p. 22.

hominum fortunas, quae in sola virtute atque animi tranquillitate positae essent.

Quantopere vero magnae tyches potestatis fides in vulgum invaserit, recentior Attica comoedia nos atque in primis Menander docet [1]). Unde perspicua iam fit mutatio in hominum opinione peracta; nam tychen antea sacerrimis atque gravissimis epithetis ornatam semperque magna cum veneratione prolatam nunc caecam et infelicem vim cognoscimus. Menander, IV. 195: *τυφλόν γε καὶ δύστηνόν ἐστιν ἡ τύχη.* Eam rationis expertem affert idem, IV. 291: *τύχης ἄνοια.* Magnis mutationibus effectis gaudio exsultat. Men. IV. 151: *ὡς ποικίλον πρᾶγμ' ἐστι καὶ πλάνον τύχη.* IV. 252: *ὦ μεταβολαῖς χαίρουσα παντοίαις Τύχη.* Iam Chaeremonis, clarissimi tragoediarum scriptoris, meminisse convenit, qui illam vocem edidit: *τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία;* quae verba saepius citata Theophrastus quoque professus est et Plutarchus in sua „de fortuna" cui inscribitur dissertatione rem incipiens commemoravit. Tyches potestatem, cum immoderata sit et indefinita, confiteri, vereri, aequo animo ferre optimum videtur. Men. IV. 345: *ζῶμεν πρὸς αὐτὴν τὴν τύχην οἱ σώφρονες.* Cum tyche in ipsa comoedia tanta auctoritate floruerit, cognoscimus, quantopere populo persuasum fuerit eam plurimum valere ad hominum res intellegimusque eiusmodi in scaena exclamationes ad ipsius populi opinionem accommodatas esse.

In Graecis amorum fabulis posterioris temporis fortuna plurimum agit, cum amantes quamvis rebus adversis cumulatis et gravissimis casibus afflictos tamen copulet bonisque omnibus prosequatur [2]). In Babrii quoque fabulis haec nobis offertur potestas, ad quam postremo omnia reducenda sint (49. 163).

Nec vero solum vulgus tychen accepit, sed etiam historiarum scriptores eam rerum gestarum effectricem attulerunt. Deme-

---

1) De tyche in comoedia apparente cf. H. Jacobi, Index dictionis comicae I. 225; II. 1081—83.

2) Cf. E. Rohde, Der griechische Roman und seine Vorläufer, p. 276 sqq.

trius Phalereus [1]) libellum qui fertur περὶ τύχης [2]) scripsit, quo eam dubiam et incertam atque inexspectatas mutationes adducentem deam depinxit. Facili opera ex suo ipsius tempore perspicua tyches plurimum valentis documenta arcessivit et enumeravit, cum ingentes Macedoniae et Persiae revolutiones ab ea procreatas esse censeret. A Duride Samio saepius fortuna effertur, cui quidem divinae providentiae ministra esse visa est (Diodor. XX. 13. 70); sed Hieronymus Cardianus, quamquam deos minime neglexit, tamen cum eos hominibus omnino non consulere ac providere videret, fortunam solam rerum effectricem praedicat (Diodor. XVIII. 25. 59).

Victrix autem in historicas Graecorum litteras introducta est tyche a Polybio [3]), qui quamquam vulgatam Graecorum opinionem, qua imbecillitatem suam fortunae Romanis opitulatae excusatione defendebant, vehementer impugnat, tamen maiorem quandam in rebus potestatem agnoscit constituta lege ac consilio omnia regnantem et ad destinatum finem, *πρὸς τὴν τῶν ὅλων πραγμάτων συντέλειαν*, adducentem. Quae *συντέλεια* ei magna omnium civitatum consociatio esse videtur, in qua Graeci ad artium ac litterarum principatum obtinendum nati praeclara perficere possent. Ita Polybius illam praeclaram Scipionis cogitationem et conceptionem in historiam introducens ac defendens dicit, II. 42: *κάλλιστον καὶ ὠφελιμώτατον ἐπιτήδευμα τῆς τύχης· πολλὰ γὰρ αὕτη καινοποιοῦσα καὶ συνεχῶς ἐναγωνιζομένη τοῖς τῶν ἀνθρώπων βίοις οὐδέπω τοιόνδ᾽ ἁπλῶς οὔτ᾽ εἰργάσατο ἔργον οὔτ᾽ ἠγωνίσατο ἀγώνισμα.* Ad opus suum perpoliendum atque perficiendum ipse fortunae indiget, III. 5: *προςδεῖ δὲ τὰ τῆς τύχης.* Eatenus iusta dea est ut non solum suum cuique tribuat et iniurias innocenti illatas

---

1) Cf. F. Roesiger, Die Bedeutung der Tyche bei den späteren griechischen Historikern, namentlich bei Demetrius von Phaleron. Constanz 1880.

2) v. fragm. hist. Graec. II, 368.

3) Cf. F. Baur, De tyche in pragmatica Polybii historia disputatio, Tübingen 1861. Markhauser, Der Geschichtschreiber Polybius, München 1858.

ulciscatur, sed etiam omnes graviores res casusque ut *βραβευτής* certaminum regat atque constituat (I 58).

Sed Polybius etiamsi casum caecum plerumque *αὐτόματον* nominat, tamen fortunam quoque fortis casusque caeci significatione adhibet. XXXII. 16: *ἃ δεῖ μόνα προςάπτειν τῇ τύχῃ καὶ ταὐτομάτῳ.* Saepius inconstantiam mutabilitatemque ei inhonestis parcenti, probos urgenti exprobrat. VI. 1: *μεταβολὰς τῆς τύχης ὑποφέρειν.* II. 4: *τῆς τύχης ὥσπερ ἐπίτηδες καὶ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ἐνδεικνυμένης τὴν αὑτῆς δύναμιν.* II. 70: *οὕτως ἀεί ποθ' ἡ τύχη τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων παρὰ λόγον εἴωθε κρίνειν.* II. 50: *ἀντιβαίνει τὰ τῆς τύχης.* Sic apud Polybium fortuna non solum ut iusta et omnia ad destinatum finem adducens, sed etiam ut inconstans ac versabilis potestas nobis offertur. Cuius ancipitis significationis iam omnibus in libris apparentis ac praecipue ad Romani imperii scriptores plurimum valentis merito Polybius auctor habendus est.

Iam aggredientes ad illustrandam fortunae notionem apud praecipuos posterioris temporis scriptores, Diodorum, Dionysium Halicarnassensem, Sallustium, Livium, Florum, Justinum, Tacitum occurrentem, ut quantum valuerit ea ad historicam rationem ostendamus, rem paucis verbis absolvamus.

Diodorus, qui Polybium cum aliis in rebus tum in ancipite fortunae ut caeci casus aut iustae providentiae notione adhibenda imitatus ex fontibus suis non solum materiam resque gestas, sed etiam sententias et opiniones sumpsit, ita ut fortunae notio modo hac modo illa significatione appareat, praecipue in rebus diadochorum enarrandis varia iudicia affert, quae ex variis auctorum suorum sententiis, Hieronymi Cardiani, Diylli, Duridis Samii, pendere Ungerus ostendit [1]). Diodorus

1) Diodors Quellen in der Diadochengeschichte. Sitzungsber. der philos.-philol. Kl. d. k. bayr. Akad. d. Wiss. 1878 I, 431 sqq. Rheinisches Museum XXXIV. 104 sq. Cf. E. Bachof, Fleckeisens Jahrb. 1879, p. 161 sqq. Roosiger, De Duride Samio Diodori Siculi et Plutarchi auctore. Diss. inaug. Göttingen 1874. Haake, De Duride Samio Diodori fonte. Diss. inaug. Bonn 1874. Röfsler, De Duride Diodori, Hieronymo Duridis auctore. Diss. inaug. Göttingen 1876.

maximam esse iudicat historiae conscribendae utilitatem, ut subitis mutationibus a fortuna procreatis perpetuo prolatis homines de superbia ac insolentia commoneat, quod in loco, qui ad Ephorum reducendus est, ita expromit, XV. 33: *ἀγαθὴ γὰρ ἡ τύχη τοὺς μέγα φρονοῦντας παραδόξως σφῆλαι καὶ διδάξαι μηδὲν ἄγαν κατελπίζειν.* Talia praecepta ut ad oculos demonstret Diodoro saepius placet. Fortunam graviorum mutationum causam praedicat in loco Timaeum auctorem habente. XIV. 76: *οὕτω μὲν οὖν τοῖς Καρχηδονίοις ἡ τύχη τάχιον τὴν μεταβολὴν ἐποίησε, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἔδειξεν ὡς οἱ μεῖζον τοῦ καθήκοντος ἐπαιρόμενοι ταχέως ἐξελέγχουσι τὴν ἰδίαν ἀσθένειαν.* Saepissime autem fortunae mutabilitatem in iis Bibliotheces partibus commemorat Diodorus, quarum Clitarchus auctor habendus est. XVII. 36: *οἱ δὲ ἐπιεικέστατοι τῶν Μακεδόνων τὴν μεταβολὴν τῆς τύχης ὁρῶντες συμπαθεῖς ἐγίνοντο κτλ. Ἐπὶ γὰρ τούτων ἡ μεταβολὴ τῆς τύχης καὶ τὸ μέγεθος τῶν ἀνελπίστων ἀκληρημάτων ἐν ὄψει κείμενον εὐλόγως τοὺς ὁρῶντας ἐποίει συμπάσχειν τοῖς ἠτυχηκόσι.* XVII. 66: *τῇ μεταβολῇ τῆς τύχης ἐδάκρυσεν.* Invidia deorum ante propria iam fortunae quoque imputatur. XVII. 46: *τὸν ἀπὸ τῆς τύχης φθόνον.* XVII. 69: *τὴν ἐκ τῆς τύχης ἐπήρειαν.* XVII. 6: *τοιοῦτον δ᾽ ἄνδρα τῆς τύχης παραδούσης ἀντίπαλον τῇ κατ᾽ Ἀλέξανδρον ἀρετῇ.* XVII. 20: *ἡ τύχη συνήγαγεν εἰς ἕνα τόπον τοὺς ἀριστοὺς εἰς τὴν ὑπὲρ τῆς νίκης κρίσιν.* Evidenter apparet dubia tyches significatio iis locis, quibus Diodorus Duridem aut Hieronymum sequitur. Duris divinam providentiam agnoscit, quae fortunam, ut hominibus iustam mercedem aut poenam tribuat, impellit. Qua sentiendi ratione Diodorus quoque utitur. XX. 30: *ἡ τύχη δ᾽ ἐναλλὰξ τὰ προτερήματα τοῖς ἐλαττώμασιν ἐπεισάγουσα τοὺς ὑπερέχοντας ἴσον ἐταπείνωσε τοῖς ἡττημένοις.* XX. 70: *τῆς τύχης ὥσπερ ἐπίτηδες ἐπιδεικνυμένης τὴν ἰδίαν δύναμιν ἐπὶ τῶν ἀπηλπισμένων.* XVIII. 66: *ἀστάτου καὶ κοινῆς ἅπασι τῆς τύχης οὔσης πολλοὶ καὶ τῶν δημοτικῶν καὶ πικρῶς διακειμένων πρὸς αὐτὸν ἐλοιδόρουν.* XIX. 11: *οὔτε τὸ προγεγενημένον ἀξίωμα τῆς παρανομουμένης ἐκτραπεῖσα τὸ παράπαν οὔτε τῆς κοινῆς τύχης εἰς οἶκτον ἐλθοῦσα.* Ubi Diodorus materiam

ex Hieronymi scriptis hausit, qui prorsus providentiae diffidens ac de divina mundi gubernatione omnino desperans tyches modo superbiam et insolentiam agnoscit, noster quoque Diodorus mutata mente auctoris sui opinionem recipit et profitetur. XVIII. 60: *τὴν τῆς τύχης καινοτομίαν.* XVIII. 42: *τὴν τύχην ὀξείας ποιουμένην μεταβολάς.* XIX. 42: *εἶξαι τῇ τύχῃ.* XX. 99: *τὴν ἅλωσιν ἐκ τῶν χειρῶν αὐτοῦ τὴν τύχην ἀφῃρῆσθαι.*

Loci, ubi Diodorus fortunam variis coloribus pictam in conspectum dat, cumulari possunt; sed sufficiant quos citavi, qui simul priorum scriptorum cogitationes nobis demonstrant. Ita Roesigeri [1]), Ungeri [2]), Bachofii [3]) disputationibus, quid cogitaverint priores historici, ex libris, quorum fontes fuerunt, nobis traditis repertum et declaratum est. Memoratu dignum esse videtur Diodorum in rebus diadochorum enarrandis multo maiorem fortunae potestatem agnovisse quam in aliis sui operis partibus.

Dionysius Halicarnassensis, cuius historica ratio, cum historiam rei publicae gerendae bonum praeceptorem putet, magnam similitudinem cum genere Polybiano habet, quod ad intimas suas de diis tycheque cogitationes attinet, Herodoto quoque, populari suo clarissimo, similis est, qui sicuti Dionysius invidiam deorum mortales sua felicitate frui non patientium saepissime cum magna verecundia commemorat. Sicuti autem tyche superbos atque insolentes gravissimis poenis vexat, sic proborum ac bene meritorum res ad felicem finem adducit: I. 4. III. 21. VIII. 24. Tamen Dionysius eos, qui omnes bonos eventus a fortuna pendere iudicant, vituperans acriter affirmat honestos ac laboriosos suis ipsorum moribus ac virtutibus plura perficere quam fortuna adiuvante. I. 4: *καὶ οἵ γε κακοηθέστεροι κατηγορεῖν εἰώθασι τῆς τύχης κατὰ τὸ φανερὸν*

---

1) Die Bedeutung der Tyche bei den spätern griechischen Historikern, namentlich bei Demetrius von Phaleron. Konstanz 1880.

2) Diodors Quellen in der Diadochengeschichte l. c.

3) Timäus als Quelle für Diodor XIV. 54 -- 78. Fleckeisens Jahrb. 1879, p. 161 sqq.

ὡς βαρβάρων τοῖς πονηροτάτοις τὰ τῶν Ἑλλήνων ποριζομένης ἀγαθά. I. 5: *μήτε ἄχθεσθαι τῇ ὑποτάξει κατὰ τὸ εἰκὸς γενομένῃ μήτε κατηγορεῖν τῆς τύχης, ὡς οὐκ ἐπιτηδείῳ πόλει τηλικαύτην ἡγεμονίαν καὶ τοσοῦτον ἤδη χρόνον προῖκα δωρησαμένης.* III. 20: *τῶν δ᾽ ὀδυρομένων ὡς οὐκ ἂν ἔτι τῆς τύχης σφᾶς διαναστησομένης.* VIII. 25: *καὶ πάνθ᾽ ὅσα πώποτε δεινὰ κατὰ τὴν ἀτέκμαρτόν τε καὶ ἀφύλακτον ἀνθρώποις τύχην ἐκείνων ἔργα λέγοντες.* Omnino Dionysius in operibus suis ac praecipue in „Romanis antiquitatibus" parum propensus esse videtur ad fortunam praedicandam, quod in primis tempori et rebus a Dionysio descriptis adscribendum est, quae leviorem modo ac viliorem materiam causamque, cur tyches potestatem praedicet, scriptori praebent quam res Alexandri imperium insecutae.

Sed referamus iam animos ad excellentissimos Romanorum scriptores, quos, cum etiam hac in re Graecorum vestigia persecuti sint, Fortunam saepissime praedicasse videmus. At cultus Fortunae minime a Graecorum Tyches cultu pendebat, immo genii cultu auctus et amplificatus erat. Qua de re infra copiosius loquemur, ubi etiam de Sullae commentariis rerum gestarum [1]), quibus ipse felicem se Fortunae filium praedicaverat. Ex hoc tempore fortunae notio in Romanorum scriptorum operibus florere videtur, atque ipse Sallustius (Jug. 95) de Sulla verba dicit: „atque illi (Sullae) felicissimo omnium ante civilem victoriam numquam super industriam fortuna fuit multique dubitavere, fortior an felicior esset; nam postea quae fecit, incertum habeo pudeat an pigeat magis disserere".

Sallustius aliis quoque locis fortunam commemorat, quamquam omnino virtutem gravissimum humanarum rerum iudicat praedicatque auctorem; Cat. 1: „virtus clara aeternaque habetur". Sed aliam quoque vim quamvis obscuram dirigere hominum vitam concedit; Cat. 8: „sed profecto fortuna in omni re dominatur". Ep. Mithr.: „fortuna aut nostris vitiis". Fortunam saepe ut vim salutarem nobis offert; Cat. 1: „for-

---

1) Cf. H. Peter, Hist. Rom. fragm., p. 127 sqq.

tuna simul cum moribus immutatur". 20: „fortuna omnia ea victoribus praemia posuit". 57: „optumum factu ratus in tali re fortunam belli temptare". Jug. 1: „neque fortuna eget". 2: „postremo corporis et fortunae bonorum ut initium sic finis est". 7: „statuit eum obiectare periculis et eo modo fortunam temptare". 14: „quo tempore magis fides eius quam fortuna petunda erat". 56: „fortunam illis praeclari facinoris casum dare". 63: „fortunam quam saepissume experiretur". 85: „mihi fortuna, illis probra obiectantur". 93: „an fortunam opperiretur, qua saepe prospere usus fuerat". Orat. Philippi: „fortuna meliores sequitur". Sed rei publicae quoque fortunam nominat Sallustius ei diligenter providentem; Cat. 41: „haec illis volventibus tandem vicit fortuna rei publicae". Suam ipsius quoque fortunam commemorat; Jug. 24: „plura de Jugurtha scribere dehortatur me fortuna mea". Saepissime nostro scriptori fortuna vis adversa ac versabilis esse videtur. Cat. 8: „ea (fortuna) res cunctas ex libidine magis quam ex vero celebrat obscuratque". 10: „saevire fortuna ac miscere omnia coepit". 51: „tempus dies fortuna, cuius lubido gentibus moderatur". 53: „saepe fortunae violentiam toleravisse". 58: „quodsi virtuti vostrae fortuna inviderit". Jug. 14: „si ad impetrandum nihil causae haberem praeter miserandam fortunam". 14: „si huic imperio fortuna mutaretur". 64: „ne tam prava inciperet neu super fortunam animum gereret". Orat. Lepidi: „quos fortuna belli consumpserat". Orat. Cottae: „sin fortuna communis asperior est".

Livius, qui valde propensus est ad res reconditas obscurasque mystice explicandas, plurimis locis fortunam profert. Maxima auctoritate floret Fortuna populi Romani. I. 46: „forte ita inciderat, ne duo violenta ingenia matrimonio iungerentur, fortuna credo populi Romani, quo diuturnius Servi regnum esset, constituique civitatis mores possent". II. 40: „ibi fortuna populi Romani duos hostium exercitus haud minus pernicioso quam pertinaci certamine confecit". VI. 30: „quidquid superfuit fortunae populi Romani, id militum etiam sine rectore stabilis virtus tutata est". VII. 34: „nos deinde aut

fortuna populi Romani aut nostra virtus expediet". Romae quoque fortuna Livio cognita est. III. 7: „deserta omnia sine capite, sine viribus dii praesides ac fortuna urbis tutata est". Sicuti Romae ac populi Romani fortuna semper urbis saluti optime consulit, Livio alias quoque fortuna saepius salutaris ac propitia vis esse videtur. XLIV. 40: „fortuna, quae plus consiliis humanis pollet". IX. 17: „oneratum fortunae apparatibus suae". IX. 18: „qui si ex habitu novae fortunae novique, ut ita dicam, ingenii spectetur". IX. 18: „quorum nec virtutis nec fortunae ullo die populum Romanum paenituit". IX. 18: „eadem fortunae pignera". VI. 9: „eo vim Camilli ab Antio fortuna avertit". X. 13: „et fortunam ipsam vereri, ne cui deorum nimia iam in se et constantior, quam velint humanae res, videatur". XXX. 1: „congestis omnibus humanis ab natura fortunaque bonis". XXX. 30: „et mihi talis aliquando fortuna adfulsit". Concedit Livius fortunam fortes et honestos semper adiuvare. IV. 37: „ergo fortuna ut saepe alias virtutem est secuta". Sed etiam mutabilitatis atque inconstantiae fortunae meminit Livius, hominibus non exspectantibus saepius res adversas parantis. XL. 40: „atrox ubique proelium, sed varia fortuna erat". IX. 16: „sed clariorem tamen eum facit, quod unus fuit, quod adulescens in incremento rerum nondum alteram fortunam expertus decessit". IX. 17: „vertenti fortunae". IX. 18: „quod Alexandro nullius pugnae non secunda fortuna fuerit". IX. 18: „miremur, si plus in tam longo spatio quam in aetate tredecim annorum fortuna variaverit?" IX. 18: „quod Romanos duces nominem, quibus numquam adversa fortuna pugnae fuit?" V. 37: „adeo obcaecat animos fortuna, ubi vim suam ingruentem refringi non vult". V. 11: „non fortunam aut quemquam deorum sed hos duces accusantem". XXX. 31: „quod ad me attinet, et humanae infirmitatis memini et vim fortunae reputo et omnia, quaecumque agimus, subiecta esse mille casibus scio". XLV. 8: „nec praesenti credere fortunae, cum quid vesper ferat incertum sit. Is demum vir erit, cuius animum neque prospera (fortuna) flatu suo efferet nec adversa infringet". XXXVII. 45: „animos, qui nostrae mentis sunt, eosdem in

omni fortuna gessimus gerimusque, neque eos secundae res extulerunt nec adversae minuerunt".

Florus, cum non solum facta, sed etiam sententias atque opinionem Livii reciperet, fortunae quoque notionem ab eo sumpsit variis coloribus pictam. Praedicat fortunam rei publicae. II. 6: „sed magna populi Romani fortuna, et semper in malis maior, totis denuo viribus consurrexit". II. 13: „sic de principatu laborabant, tanquam duos tanti imperii fortuna non caperet". Saepius fortunam summam in hominum rebus auctoritatem obtinere laudat, quae cum virtute coniuncta magna perficit. I. 1: „tot in laboribus periculisque iactatus est, ut ad constituendum eius imperium contendisse virtus et fortuna videantur". Nonnullis, qui singulari fortunae gratia fruuntur, maxime favens praeclaros triumphos tribuit. I. 40: „Hiberi, Caspii, Albani et utraeque sollicitantur Armeniae, per quae omnia decus et nomen et titulos gloriae Pompeio suo fortuna quaerebat." I. 45: „Asia Pompeii manibus subacta reliqua, quae restabant in Europa, fortuna in Caesarem transtulit." Saepe fortuna propitia est ac secunda. I. 1: „nam Fidenate bello missi in auxilium ex foedere medii inter duos exspectavere fortunam". II. 13: „aliquid tamen adversus absentem ducem ansa fortuna est circa Illyricam et Africam oram, quasi de industria prospera eius adversis radiaret". II. 13: „numquam ullo loco tantum virium populi Romani, tantum dignitatis fortuna respexit". II. 10: „fortunam expertus". Sed et iniuriarum ultricem nominat Florus fortunam. II. 13: „ultionem clarissimi viri manibus quaerente fortuna causa non defuit". Homines malis afflictos fallit fortunae inconstantia. II. 13: „sed in debitum par fortuna flagitante sedem bello Pompeius Epiron elegerat". II. 13: „hic non pro cetera felicitate, sed anceps et diu triste proelium, ut plane videretur nescio quid librare fortuna". II. 8: „per fortunam in omnia obnoxii". Agnoscit denique Florus invidiam fortunae. II. 13: „itaque invidens fortuna principi gentium populo ipsum illum in exitium sui armavit". Fortes ac honesti viri fortunam devincentes innoxiam facere possunt. I. 18: „de fortuna triumphavit".

Justinus, qui Pompeii Trogi historiarum Philippicarum epitomen scripsit, nobis, cum fortunam saepius afferat, causam praebuit, cur Pompeium Trogum fortunam plurimarum rerum auctorem fingere non abhorruisse coniciamus. Justinus fortunam omnium rerum reginam praedicat, quae modo secunda modo adversa de rerum varietate ac mutatione gaudio exsultat. Permulti loci addi possunt; sed sufficiant ii, quos ex prima epitomes parte sumpsimus. I. 7: „ibi fortuna prioris proelii perculsum iam Croesi exercitum nullo negotio fundit". I. 7: „nullus tamen fortunae Caudauli comparandus". I. 9: „fortuna tamen ita regente illo incolumi magus interficitur". II. 14: „sed fortuna regis cum duce mutata non est". III. 4: „tantum sibi vel de viribus suis vel de fortuna spondentes". III. 7: „varia proeliorum fortuna". V. 1: „consumpti magis fortunae varietate, quam victi sunt". V. 1: „quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat". V. 4: „fieretque cum eo mira quaedam fortunae inclinatio". V. 5: „qui Lacedaemonios auxiliis opibusque ad spem fortunae prioris erexit". V. 6: „iterum tamen fortunam maris experiundam decernunt". V. 7: „Lysander autem, dux Lacedaemoniorum, rebus feliciter gestis fortunae hostium insultat". V. 7: „quas metus dubiae belli fortunae in fide tenuerat". V. 7: „fortunam publicam questibus iterant". V. 7: „miserioremque incolumium quam amissorum fortunam iudicantes". VI. 3: „fortunam belli temptaturus". VI. 4: „fit itaque terrestre proelium eadem Lacedaemoniorum fortuna, qua pugnatum adversus Conona navali proelio fuerat".

Antequam ad Tacitum venimus, Senecae philosophi dictum proferre nobis liceat, quod quam saepe notiones „naturae, fati, fortunae" mutuae inter se ad eandem sententiam exprimendam adhibitae sint, nobis ostendit, de benefic. IV. 8: „si nunc naturam vocas, fatum, fortunam, omnia eiusdem dei nomina sunt, varie utentis sua potestate". Quibus cognitionibus omnia, quae hominibus obscura atque inexplicabilia erant, indicata esse recipere possumus.

Tacitus eandem fere quam Seneca de rebus humanis opi-

nionem professus [1]) ignorat, quae vis hominum res dirigat. Ann. VI. 22: „sed mihi, haec ac talia audienti, in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili, an forte volvantur". Sed virtutem maximi aestimans gravissimum rerum auctorem putat ac propensus est ad res naturalibus causis explicandas. Hist. I. 4: „ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur". Tamen variae ac dubiae vitae mutationes Tacitum eo adduxerunt, ut obscuram ac mutabilem vim humanas res regere credat. Ann. III. 18: „mihi, quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur". Itaque ad fortunam confugit Tacitus, cuius potestatem maximam agnoscit. Sed gravissimos modo locos nobis citare liceat, cum quid cogitaverit Tacitus de divina mundi gubernatione iam saepe tractatum sit [2]).

Tacito fortuna divina dignitate atque auctoritate frui et iusto consilio humanas res dirigere videtur. Ann. III. 18: „quippe fama spe veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat." XII. 41: „fortunam utriusque praesumeret". XVI. 11: „servavitque ordinem fortuna". Hist. I. 10: „occulta lege fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberis-

---

1) Cf. M. Zimmermann, De Tacito Senecae philosophi imitatore. Breslau 1889.

2) K. Hoffmeister, Die Weltanschauung des Tacitus. Beiträge zur wissenschaftlichen Kenntnis des Geistes der Alten. 1. Bändchen. Essen 1831, p. 99. F. A. Scharpff, Eine Darstelluug der politischen und religiösen Ansichten des Tacitus, Rottweil 1843. W. Boetticher, Prophetische Stimmen aus Rom oder das Christliche im Tacitus. 2. Tl. Hamburg 1840. M. T. Fabian, Quid Tacitus de numine divino iudicaverit, Lyck 1852. J. G. Pfaff, Die Ansichten des Tacitus über das sittlich Gute, Marburg 1858. N. Liebert, De doctrina Tacitea. Diss. inaug. Würzburg 1868. F. Voigtland, Quid senserit Tacitus de divina rerum humanarum moderatione, Meiningen 1870. J. Müller, Über die philosophischen und religiösen Anschauungen des Tacitus, Innsbruck 1874. C. F. Rauschke, Quid Tacitus de divina rerum humanarum cura ac moderatione senserit, Zwickau 1875.

que eius imperium, post fortunam credidimus". II. 1: „struebat iam fortuna in diversa parte terrarum initia causasque imperio". II. 7: „nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret".

Sed ut caecus quoque casus et fors fortuna nobis apud Tacitum offertur. Ann. I. 11: „quam subiectum fortunae regendi cuncta onus". Hist. III. 60: „initia bellorum civilium fortunae permittenda, victoriam a consiliis et ratione proficisci".

Fortuna saepe varia ac dubia magnas mutationes gignit. Ann. I. 31: „mente ambigua fortunam seditionis alienae speculabantur". II. 54: „varietate fortunae". 88: „cum varia fortuna certaret". IV. 1: „cum repente turbare fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere". V. 6: „versa est fortuna". XII. 47: „tantam fortunae commutationem". XIV. 63: „melioris olim fortunae recordatione". XVI. 1: „inlusit dehinc Neroni fortuna". Hist. I. 66: „mutationem fortunae male tegebat". II. 27: „omnem belli fortunam". 54: „versam partium fortunam". III. 16: „versa fortuna". 18: „tam anceps proelii fortuna". 23: „neutro inclinaverat fortuna". 41: „ruentis fortunae novissima libido". IV. 4: „ambiguam fortunam". 33: „fortuna pugnae mutatur". 34: „varia apud Romanos fortuna". 47: „magna documenta instabilis fortunae summaque et ima miscentis". Agr. 30: „varia fortuna certatum est". Germ. 3: „futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur". 30: „fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare".

Saepissime Tacitus fortunam salutarem ac propitiam vim nominat. Ann. II. 25: „utrisque adfuit fortuna". 63: „ex memoria prioris fortunae". 72: „magnitudinem et gravitatem summae fortunae". III. 55: „quamquam fortuna vel industria plerique pecuniosam ad senectam pervenirent". IV. 13: „magnae fortunae pericula". IV. 23: „fortunae inops". 39: „nimia fortuna socors". VI. 22: „hi prospera (fortuna) inconsulte utantur". XI. 17: „secunda fortuna ad superbiam prolapsus". XII. 12: „summam fortunam in luxu ratum". 29: „fortuna elati". 37: „quanto nobilitas et fortuna mihi fuit". 64: „si qua ex fortuna prospera acceperant". XIII. 6: „in summa

fortuna". 41: „pro benignitate fortunae". 46: „ibi se summa fortuna digni visere". XIV. 38: „prospera ad fortunam referebat". 55: „nondum omnes fortuna antecellis". 60: „ex mediocritate fortunae pauciora pericula sunt". XV. 1: „id in summa fortuna aequius quam validius". 34: „fortunam celebrans". XVI. 6: „aliaque fortunae munera pro virtutibus". Hist. I. 49: „quinque principes prospera fortuna emensus". 52: „venienti fortunae occurreret". 56: „occupari nutantem fortunam et offerri principem placuit". II. 1: „ingenium quantaecunque fortunae capax". 12: „blandiebatur coeptis fortuna". 47: „experti invicem sumus, ego ac fortuna". 61: „inserere sese fortunae". 64: „fortunae inlecebris". 76: „si fortuna coeptis adfuerit". 82: „quibusdam fortuna pro virtutibus fuit". 99: „nimia fortunae indulgentia". III. 2: „quibus fortuna in integro est". 9: „omissa prioris fortunae defensione". 17: „ea necessitas seu fortuna lapsas iam partes restituit". 32: „Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat". 59: „quae (fortuna) Flavianis ducibus non minus saepe quam ratio adfuit". 82: „pro Flavianis fortuna et parta totiens victoria". IV. 24: „fortunam virtutemque suam". 51: „pari audacia fortunaque". 67: „fortuna melioribus adfuit". V. 25: „Civilis instare fortunae". 21: „aderat fortuna, etiam ubi artes defuissent". Agr. 7: „ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante". 13: „initium venturae mox fortunae". 16: „unius proelii fortuna". 44: „quid aliud adstruere fortuna poterat". Germ. 33: „maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui; quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam". 36: „Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit". 39: „adicit auctoritatem fortuna Semnonum". 46: „suas alienasque fortunas spe metuque versare". Dial. 8: „ad quam usque fortunam homines ingenii viribus praevenerint". 13: „ne fortunam quidem vatum".

Tacitus imperatoriam quoque fortunam et principalem vel principatus agnoscit, cum ipsis imperatoribus esse suam fortunam concedat. Ann. XII. 2: „dignum prorsus imperatoria

fortuna". Hist. I. 62: „fortunam principatus". 77: „ad capessendam principatus fortunam". II. 59: „cunctis fortunae principalis insignibus". 81: „speciem fortunae principalis". IV. 85: „vim fortunamque principatus". Populus quoque Romanus habet suam fortunam. Ann. XIV. 2: „publica fortuna exstinctam". Hist. III. 46: „adfuit ut saepe alias fortuna populi Romani". 49: „fortuna imperii transit". IV. 57: „fortunam imperii". Sed non solum principatus et populus Romanus, sed etiam singuli homines habent suam fortunam, quae cum genio comparari potest. Cf. p. 47 sq. Ann. II. 71: „si me potius quam fortunam meam fovebatis". III. 16: „qualicunque fortunae meae non est adiunctus". 24: „valida divo Augusto in rem publicam fortuna". VI. 6: „quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant". 8: „fortunae quidem meae". XI. 38: „fortunam suam introspexit". XII. 26: „Brittanici fortunae maeror". 37: „mea fortuna". XIV. 6: „fortuna eius evasisse gravem casum". 53: „utar magnis exemplis, nec meae fortunae, sed tuae". 54: „in tuam fortunam recipi". XVI. 29: „tristem patris fortunam". Hist. I. 15: „cum fortuna nostra". II. 33: „fortunam et deos et numen Othonis adesse consiliis, adfore conatibus testabantur". III. 43: „Vespasiano ante fortunam amicus". 65: „tanquam invidia et aemulatione fortunam fratris moraretur". IV. 81: „Vespasianus cuncta fortunae suae patere ratus".

Fortuna, si hominibus adversa est, multa mala parat. Ann. II. 38: „inter angustias fortunae". 72: „saevienti fortunae summitteret animum". 75: „infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia". V. 8: „dum adversam fortunam aequus tolerat". VI. 22: „si illi gravem fortunam constanter tolerent". XII. 18: „igitur cultu vultuque quam maxime ad praesentem fortunam comparato". XV. 13: „quotiens fortuna contra daret". 28: „ut dissimilitudo fortunae gloriam augeret". Hist. I. 15: „fortunam adhuc tantum adversam tulisti". 65: „si fortuna contra daret". II. 46: „fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei". 97: „adversam eius fortunam ex aequo detrectabant". III. 18: „ubi fortuna contra fuit".

31: „cedere fortunae“. 59: „ne Vitellium retro fortuna vertisset, quae Flavianis ducibus non minus saepe quam ratio adfuit“. IV. 1: „fortuna captae urbis“. 52: „nam amicos tempore fortuna cupidinibus aliquando aut erroribus imminui transferri desinere“. 74: „moneant vos utriusque fortunae documenta“.

Itaque fortunae notionem in clarissimis scriptoribus apparentem intuiti cognoscimus, quantum valuerit fortuna ad optimorum virorum cogitationes. Miremur Plinium abundantem fortunae cultum ac venerationem vehementer accusare? Hist. Nat. II. 7: „toto quippe mundo et omnibus locis omnibusque horis omnium vocibus Fortuna sola invocatur ac nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur; et cum conviciis colitur, volubilis, a plerisque vero et caeca existumata vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix; huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit, adeoque obnoxiae sumus sortis, ut sors ipsa pro deo sit, qua deus probatur incertus“.

Sed eamus ad Plutarchum, ut eius tandem rationem cognoscamus.

Iam saepe, qui Plutarchi Chaeronensis opera tractavere, talem fingere eum ausi sunt, qui cum Christiana religione aliquam necessitudinem habuerit, Christianum cultum cognoverit, Christianae legis studiosus fuerit [1]). Quamquam concedendum est Plutarchum iam loci et temporis beneficio multas occasiones Christianorum doctrinas cognoscendi ac percipiendi habuisse, quamquam haud dubie apud Plutarchum cum maximam verecundiam ac religionem, admirabilem integritatem ac pietatem, tum maxime perpetuam voluntatem atque cupiditatem divinum, id est veritatem, cognoscendi invenire possumus, tamen ex omnibus eius scriptis apparet eum non modo non accepisse, sed ne cognovisse quidem Christianorum doctrinas [2]). Et multo

1) Cf. Pohl, Die Dämonologie des Plutarch, Breslau 1860.

2) Cf. F. W. Orban, Litterarhistorische Skizze über Plutarch von Chäronea, Schleusingen 1849, p. 6sq. R. Volkmann, Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chäronea, Berlin 1869. I, 306sqq.

magis coniciendum est Plutarchi doctrinam magni momenti ad Christianorum sacra legesque fuisse, cum sciamus philosophiam Graecam nascentem adhuc religionem Christianam nec satis adultam circumstetisse et ei multas notiones atque sententias mutatis mutandis praebuisse. Graeca philosophia et nova Christianorum doctrina altera ad alteram maximam vim inter se invicem attulerunt [1]). Plutarchus Christianae doctrinae defensor pulchra ac praeclara significatione est, cum bonum honestumque defendat, sed re ipsa Christianorum sententias non cognovit.

Plutarchus, cum nullius philosophorum sectarum suo tempore vigentium partes sequeretur [2]), tamen vehementer in philosophia versatus de vita ac moribus rebusque bonis et malis tam strenue quaerebat, ut, quamvis summa pietate ac religione praeditus ornatusque, et priorem deorum cultum abiceret et a superstitione falsaque vulgi religione se averteret. Quare magnam in dissensionem incidebat et a se ipso dissidebat, cum prudentior, quam ut omnia, quae maiores crediderant, comprobaret atque crederet, et doctior studiisque excultior, quam ut in vetusta superstitione, cui consuetudine adhuc adstrictus erat, perseveraret, tamen vetustum cultum atque humanitatem nondum nova rerum naturae contemplatione ac novo deorum cultu etiam tum rudi ac paullatim efflorescente compensare posset. Itaque pietate, magis a ratione quam a sensu profecta, usus est Plutarchus, cui in primis difficillimum fuit liberalitatem, ad quam philosophia adductus erat, cum pietate erga deos coniun-

---

1) Cf. O. Fabricius, Zur religiösen Anschauungsweise des Plutarch, Königsberg 1879. W. Moeller, Über die Religion Plutarchs, Kiel 1881. E. Zeller, Die Entwickelung des Monotheismus bei den Griechen. Vorträge und Abhandlungen. II. ed. Leipzig 1875. I. 1sqq. E. Curtius, Die griechische Götterlehre vom geschichtlichen Standpunkt. Preufsische Jahrbücher XXXVI.

2) Cf. O. Gréard, De la morale de Plutarque. III. ed. Paris 1880. R. Volkmann, l. c., II. 25 ostendit, Plutarchum, ad quem etiamsi Aristotelis doctrinae magni momenti fuerint, in primis Platoni studuisse eiusque praecepta secutum esse. Conferas quaeso etiam L. Schmidt, Ethik der alten Griechen I. 40. E. Zeller, Die Philosophie der Griechen. III. ed. Leipzig 1881. III. 2. p. 159sqq.

gere, quam pio animo et religione retinebat; itaque saepissime eloquebatur, quod animo molli agitabat, se in tempore dissensionis ac discrepantiae pleno vivere, quod vetera abiecisset nec nova accepissit.

Perpauci quidem viri incorrupti ingenuique quanta sit vis virtutis ac morum intellexerunt, sed optimi quique, cum usitatae perceptaeque deorum cognitiones exstinctae essent, vim quaerebant, quae defectum compensare et hominum desiderium, maiorem divinam potentiam complectendi, satiari posset. Quid mirum Plutarchum ad potestatem omnibus cognitam iustoque consilio res regnare visam refugisse et tychen agnovisse? Ita noster quoque Plutarchus sui temporis verum se filium esse plane manifestat.

Si prioris temporis Graeci non intellexerunt, quantopere omnia, quae fiunt, divina quadam vi ad finem constitutum adduci possent, postea tyches in dies plus valentis notio causam praebuit, cur eam potentiam existimarent cum consilio hominum res gerendas ad finem destinatum adducentem et certi cuiusdam propositi appetentem. Polybium nonnullis locis tychen talem esse vim, quae singulorum gentium atque hominum res non sine consilio regeret, vidisse Baurius [1]) dilucide ostendit. Sed multis aliis locis in ipsa Polybii historia, sicuti supra demonstravimus, tyches voci alia, illi adversa et contraria significatio subiecta est, ita ut Polybius quoque veram tyches naturam non diligenter cognovisse, sed dubiam atque ancipitem reliquisse videatur. Quoad posterioris temporis Graecorum historicorum seriem intueri possumus, ne unum quidem reperimus scriptorem veram fortunae naturam ac notionem saepissime repetitam perscrutatum; quae notio non solum ubique varia significatione adhibetur, sed pro illa aliae quoque cognitiones, ut exemplis utamur, *εἱμαρμένη*, *αὐτόματον*, *δαίμων* ceteraeque exsistunt, quae simili significatione praeditae parva modo variatione alium sensum praebere solent.

Plerumque ergo fieri non posse videtur, ut in has notiones

1) De tyche in pragmatica Polybii historia disputatio. Cf. L. Schmidt l. c. II, 68.

inquirendo, quid senserint scriptores de diis ac rerum natura, consideremus, exponamus, persequamur, cum talibus notionibus adhibitis nulla satis et copiose et eleganter constituta disciplina ac ratio, ad quam illae notiones redigi possent, ante oculos obversata sit. Nam plerumque scriptores his cognitionibus usi neglexerunt, quid significarent eae ac valerent in philosophia, sicuti nos quoque nostra lingua saepissime nomina „Zufall, Glück, Schicksal, Vorsehung“ adhibemus immemores atque inscii iuris potestatisque hasce notiones proferendi.

Tales notiones maioris momenti sunt in operibus scriptoris, qui cum ingenii acie ac praestantia acrem scribendi modum atque orationis siccitatem munditiamque misceat et verborum pondera examinet nec leviter voces non satis dilucidas et distinctas proferat. Dico Polybium et Tacitum huiusce modi scriptores magni fortunae ponderis ac momenti semper conscios. Quod longe aliter se habet apud Plutarchum, qui etiamsi in scriptorum moralium, quae dicuntur, nonnullis locis, ubi subtilius explicat notiones, nominum significationes plerumque diligenter consideret, tamen in vitis parallelis, quasi ex usu exemplorum scripta moralia interpretantibus, notiones non solum saepe mutat sed etiam eidem cognitioni diversissimas et contrarias significationes addit. Sine dubio eam ob rem, quod moralia quoque Plutarchi scripta posteris tradita supersunt, quid Plutarchus censuerit de tyche, melius scimus, quam si ex vitis modo parallelis notio iudicanda esset. Hoc autem operae pretium esse aio; nam Plutarchus variis scriptis et ad philosophiam ac virtutes moresque explicandos et ad res gestas enarrandos spectantibus in litterarum antiquarum historia unicus et suo genere singularis atque insuperabilis scriptor numeratur.

Nobis autem inquirentibus, quoties et qualis fortunae notio apud Plutarchum versetur, id cum ad considerandum atque examinandum, quid senserit Plutarchus de natura deorum rerumque humanarum, tum ad subtilius cognoscendum, quae sit historica eius ratio, plurimum conferre maximique momenti esse videtur. Nam scriptori historiarum, qui res gestas non simpliciter, sed ita narrare vult, ut simul unde singula eventa orta sint et quomodo cohaereant demonstret causasque rerum

acri iudicio percenseat, praecipue id persuasum clarumque esse oportet, quatenus res gestas ad liberas hominum voluntates consiliaque reduci liceat et quantum ad eas aliae causae viresque hominum voluntati omnino non oboedientes nec subiectae valuerint. Plutarchus vero minime in eiusmodi scriptoris rationem cadit, cum sciamus ei non propositum fuisse historiam propria illa et principali significatione scribere, sed humiliora modo humanae vitae et virorum mores virtutesque ad hominum animos alliciendos aptas proferre; quam ad rem efficiendam ei parva facta dictaque memoratu digna ac narratiunculas et mores ad humanum animum investigandum aptos explanare maioris ponderis esse videbatur, quam causas eventaque rerum percensere ac perscrutari. Cum ad severae veritatis et fidei modum scribere minoris putet, in fontibus [1]) quoque eligendis et adhibendis leviter parumque subtiliter versatur agitque neque eas pro intima doctrinae artisque subtilitate et fide, sed pro ubertate ac crebritate praeceptorum honestum aliquid monentium eligit. Plerumque nullo critices usu unum fontem uberrimum sequitur, quem non nominat, et cum aliis comparat, quos nominat [2]).

---

1) Heeren, De fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi, Göttingen 1820. J. G. Droysen, Geschichte des Hellenismus, Hamburg 1836 I, 676 sqq. M. Haug, Quellen des Plutarch, Tübingen 1854. H. Peter, Die Quellen Plutarchs in den Biographieen der Römer. Schubert, Die Quellen des Plutarch in den Lebensbeschreibungen des Eumenes, Demetrius und Pyrrhus. Fleckeisens Jahrbücher. Suppl. IX. J. Cratiunesco, Plutarchus cum Herodoto et Thucydide comparatur, quod ad historicam rationem attinet, Paris 1874. O. Clason, Plutarch und Tacitus. Eine Quellenuntersuchung. Berlin 1870. R. Lange, De Tacito Plutarchi auctore. Diss. inaug. Halle 1880. P. Müllemeister, De fontibus Pyrrhi Plutarchei, Göttingen 1874. C. Queck, Beiträge zur Quellenkunde Plutarchs, Bd. I, Stargard 1874. F. Leo, De Plutarchi quaestionum Romanarum auctoribus. Diss. inaug. Halle 1874. Sauppe, Die Quellen des Plutarch im Leben des Perikles. Barth, De Iubae ὁμοιότησιν a Plutarcho expressis. Thilo, De Varrone Plutarchi auctore. F. Roesiger, De Duride Samio Diodori Siculi et Plutarchi auctore. Diss. inaug. Göttingen 1874. A. Vogel, Über die Quellen Plutarchs in der Biographie Alexanders, Colmar 1877.

2) O. Gréard, De la morale de Plutarque. III. ed. Paris 1880.

Iam ad fortunae in Plutarchi operibus notionem perspiciendam aggredientes initio locos ad finem nobis propositum valentes conferemus simulque eos sub rationibus collocabimus et disponemus, quae nobis ad notionem diiudicandam aptissimae videntur. Deinde considerabimus ea, quae Plutarchus de hac notione in scriptis suis moralibus, ac praecipue in dissertationibus „de fortuna“, „de Romanorum fortuna“, „de Alexandri magni sive virtute sive fortuna“ theoretice et magis ex artis praeceptis exposuit, et postremo ex summa de philosophica atque historica scriptoris ratione concludemus coniecturasque faciemus [1]).

Initio quidem gravissimos locos ad nostram explicationem respicientes intuentibus annotandum est nos, dum diversas notiones per capitula praecise distinguimus, expositionem tantum — modo dilucidiorem facturos fuisse neque ullo modo opinionem praebere voluisse quasi Plutarchus notionum varietatis semper conscius fuisset.

I. Primum tyche saepissime in scriptis moralibus ut dea visu tactuque manifesta versatur. de fort. 4: *τὴν γὰρ Ἐργάνην αἱ τέχναι πάρεδρον οὐ τὴν Τύχην ἔχουσι.* 5: *τῇ Τύχῃ προςευχόμενος.* de Rom. fort. 3: *ἐπὶ τὴν σύγκρισιν καὶ τὸν ἀγῶνα τήν τε Τύχην καὶ τὴν ἀρετὴν βαδιζούσας. — σπευδούσης τῆς Τύχης.* 4: *τῆς δὲ Τύχης ὀξὺ μὲν τὸ κίνημα καὶ θρασὺ τὸ φρόνημα καὶ μεγάλαυχον ἡ ἐλπίς.* Spes et Fortuna saepissime inter se coniungi solent; hanc illa antecedit [2]).

F. Roesiger, Die Bedeutung der Tyche bei den späteren griechischen Historikern, p. 13.

1) Quae ad vitas parallelas pertinent, editionem ex recensione Sintenis exortam secutus sum (Plutarchi vitae parallelae. Iterum recognovit Car. Sintenis. II. ed. Lipsiae 1879—1888. Teubner, Vol. V); quae ad scripta moralia spectant, novissimam quam curavit Bernardakis, editionem comparavi (Plutarchi moralia recognovit Gregorius N. Bernardakis. Vol. I u. II. Lipsiae 1888—1889), sed, cum eam non iniuria improbari videam (cf. Wilamovitzius de Moellendorf in ind. lect., Göttingen 1889; item: Zu Plutarchs Gastmahl der sieben Weisen, Hermes 1890, p. 196 sqq.), praecipue Deubneri editionem secutus sum (Plutarchi Chaeronensis scripta moralia. Parisiis. Editore Didot).

2) Cf. Birt, Elpides, p. 125: „Der Historiker denkt sich für das ewige Glück Roms die patriotische Hoffnung der Römer als notwendiges Antecedens.“ Cf. p. 15. 65 sq.

4: οὕτως ἡ Τύχη καταλιποῦσα Πέρσας καὶ Ἀσσυρίους Μακεδονίαν μὲν ἐλαφρὰ διέπτη. 5: ἀλλὰ τά γε τῆς Τύχης ἱερὰ λαμπρὰ καὶ παλαιά. — Τύχης ἱερόν. — τὸ δὲ τῆς γυναικείας Τύχης κατεσκευάσαντο. — τὸ ἄγαλμα τῆς Τύχης. — τὴν δὲ πρὸς τῷ ποταμῷ Τύχην ‚φόρτιν' καλοῦσιν. 6: τὴν Τύχην αὐτῷ συμπλεῖν. 8: τοῦτό μοι δοκεῖ πρὸς τὴν Ῥωμύλου Ἀρετὴν ἡ Τύχη λέγειν. 10: τὴν δὲ Τύχην καὶ οἱ μετ' ἐκεῖνον ἐθαύμασαν βασιλεῖς. — τά γε τῆς Τύχης ἱερὰ πάμπολλα καὶ παλαιὰ καὶ λαμπρά. — τὸ μὲν τῆς ἀνδρείας Τύχης ἱερόν [1]). — τὸ δὲ τῆς γυναικείας (Τύχης). — συνεῖναι αὐτῷ τὴν Τύχην. — Τύχης ἱερόν. — ἰδίας Τύχης ἱερόν. — τὸ δὲ τῆς ἰξευτρίας (Τύχης). — παρθένου Τύχης ἱερὸν καὶ ἐπιστρεφομένης. — Τύχης βωμὸς εὐέλπιδος [2]). — ἄῤῥενος Τύχης ἕδος. — ἄλλαι τὲ μύριαι Τύχης τιμαί [3]). de Alex. fort. I, 1: οὗτος ὁ τῆς Τύχης λόγος ἐστίν, ἴδιον καὶ μόνης αὐτῆς ἔργον ἀποφαινομένης Ἀλέξανδρον. 2: εἰπεῖν πρὸς τὴν Τύχην. 13: Τύχης μέγαν ἀγῶνα καὶ Ἀρετῆς.

II. Secundo tyche vim sola mente percipiendam significat, quae hominibus et populis fata sortesque quasi divinitus vel ut divinum aliquod numen praedestinat. Saepe fortuna etiam ut ultrix, quae iniuriam alicui illatam sanare ac pensare improbosque punire studet, producitur. Plutarchus, cum Camillum iniuriae sibi illatae causa Romam reliquisse narrat, tychen rem gerentem vehementerque agentem facit. Camillus, 13: τοσαύτη περιῆλθε τὴν Ῥώμην νέμεσις, καὶ τοσοῦτον ἄγων

1) Hic a Plutarcho Romanorum „fortuna fortis" falso sensu commemoratur, cum vocabulum „fortis" ut adiectivum accipiat et falso „fortunam fortis" in *τύχην ἀνδρείαν* mutet. Sed ante Plutarchum iam Dionysius Halicarnassensis in hunc errorem inciderat. IV. 27: *ταῦτα διαπραξάμενος ἐν εἰρήνῃ τε καὶ κατὰ πολέμους καὶ ναοὺς δύο κατασκευασάμενος Τύχης, ἣ παρὰ πάντα τὸν βίον ἔδοξεν ἀγαθῇ κεχρῆσθαι, τὸν μὲν ἐν ἀγορᾷ τῇ καλουμένῃ Βοαρίᾳ, τὸν δ' ἕτερον ἐπὶ ταῖς ἠιόσι τοῦ Τεβέριος, ἣν ἀνδρείαν προσηγόρευσεν, ὡς καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων καλεῖται.* Cf. L. Preller, Regionen der Stadt Rom, p. 216.

2) Cf. Birt, Elpides, p. 15. 125.

3) Multa variorum Romanae Fortunae generum templa commemorat Plutarchus etiam in Quaestionibus Romanis, 74, ubi Servii historiam enarrat.

φθόρον καὶ κίνδυνον ἅμα μετ' αἰσχύνης ἐφάνη καιρὸς ἐπὶ τὴν πόλιν, εἴτε τῆς τύχης οὕτω συνελθούσης, εἴτε καὶ θεῶν τινος ἔργον ἐστὶ μὴ παραμελεῖν ἀρετῆς ἀχαριστουμένης [1]). Quo loco quamquam deo alicui opposita est fortuna, tamen easdem causas eventusque dirigit et eius potestas tantum valet quantum dii. Saepe ulcisci cessat moraturque atque in posterius tempus differt. Aemilius Paulus, 22: *τὴν τοῦ κατορθώματος νέμεσιν εἰς ἕτερον ἡ τύχη καιρὸν ὑπερβαλλομένη.* Saepe quam obscure et inexplicabiliter dominetur tyche, memoratur. Nicias, 11: *ἄκριτον δ' ἡ τύχη πρᾶγμα καὶ ἄληπτον λογισμῷ.* Nulla hominum cogitatio arcanam fortunae naturam complecti aut intellegere potest. Praeter deos Plutarchus tychen quoque, ne homines gentesque in rebus secundis altius promoveantur neve superbiores se praebeant, praecaventem facit. Nicias, 17: *πρὶν ἐκ θεῶν ὄντως ἢ τύχης ἀντίστασίν τινα γενέσθαι τοῖς Ἀθηναίοις ἐπὶ πλεῖστον αἰρομένοις δυνάμεως.* Stabili ac firma ratione consilioque usa tyche singularum gentium res regit. Demosthenes, 19: *τύχη δέ τις ἔοικε δαιμόνιος ἐν περιφορᾷ πραγμάτων εἰς ἐκεῖνο καιροῦ συμπεραίνουσα τὴν ἐλευθερίαν τῆς Ἑλλάδος ἐναντιοῦσθαι τοῖς πραττομένοις.* Daemonis cuiusdam voluntas, quominus Graeci Philippum impugnantes libertatem suam servent, prohibet [2]). Omnibus locis, ubi apud Plutarchum *τύχην δαιμόνιον* reperimus, ea divina quaedam vis habenda est. Saepe ipsa tyche daemon fit. Sed in comparatione Thesei et Romuli, 3: *εἰ δὲ δεῖ καὶ τὰ δυςτυχηθέντα μὴ παντάπασι ποιεῖσθαι δαίμονος, ἀλλ' ἠθικὰς καὶ παθητικὰς ζητεῖν*

---

1) Cum Plutarchus in Camilli et Pyrrhi vitis ex Dionysii Halicarnassensis libris eos quoque, qui nobis minime traditi sunt, excerperet, facile factum esse potest, ut Dionysius quoque aliquid valuerit ad Plutarchi tychen; quae Plutarchus (in vita Coriolani et in oratione de Rom. fort. 5) de Coriolano narrat, e Dionysii antiquitatibus sumpsit; cf. H. Peter, Die Quellen Plutarchs, Halle 1865, p. 7sq. Th. Mommsen, Die Erzählung von Cn. Marcius Coriolanus. Hermes (1870) IV, 1sqq. Römische Forschungen II, 113sqq.

2) Cf. Pohl, Dämonologie des Plutarch. R. Schmertosch, De Plutarchi sententiarum, quae ad divinationem spectant, origine. Diss. inaug. Leipzig 1889.

ἐν αὐτοῖς διαφορὰς κτλ., ostenditur res adversas perraro ex fortuna pendere, sed causas earum plerumque in morum ac libidinum diversitate quaerendas esse [1]). Brutus, 40: *ἀγαθὴν μέντοι ψυχὴν ἔχωμεν εἰς τὴν τύχην ἀφορῶντες, ἥ, κἂν βουλευσώμεθα κακῶς, ἀπιστεῖν οὐ δίκαιον*; quae verba Brutus ante pugnam Philippensem Messalae dixit, cuius ex commentariis de bello civili Plutarchus sumpsit [2]). de lib. educ. 8: *πλοῦτος δὲ τίμιον μὲν, ἀλλὰ τύχης κτῆμα, ἐπειδὴ τῶν μὲν ἐχόντων πολλάκις ἀφείλετο, τοῖς δ' οὐκ ἐλπίσασι φέρουσα προςήνεγκε.* de Rom. fort. 1: *αὐτὴν τὴν τὰ πάντα γεννῶσαν ἡμῖν καὶ φέρουσαν φύσιν οἱ μὲν τύχην εἶναι νομίζουσιν, οἱ δὲ σοφίαν.* 2: *μετὰ θεοῦ τύχην.* Quo loco ac multis sequentibus fortuna aperte ut divina quaedam vis tractatur, quae impersonali natura plane amissa personale numen divini generis sibi conscium fit. 9: *θείας τύχης ἐπιτροπευούσης.* 11: *θείᾳ δὲ πομπῇ καὶ πνεύματι τύχης.* de Alex. fort. I, 11: *καθάπερ τινὰ τύχης βασιλικῆς νέμεσιν συγκαλύπτων.* Illud apud Plutarchum rarissime versatur, regnantem fortunam in primis honestioris ac nobilioris ordinis hominibus iniquissimam et malignam esse, ut quasi componat transigatque sortes. Sed omnia, quae Graeci de deorum invidia animis conceperant, ad tychen quoque transferebantur. Quaest. Rom. 74: *ὅσα δὴ μὲ καταμαθῶν τὸ παρὰ μικρὸν ἀεὶ τῆς τύχης μέγα δυνάμενον.* de fato, 7: *αἴτιον μὲν δή τι ἡ τύχη. — τὸ μέντοι κατὰ συμβεβηκός, ὅταν μὴ μόνον ἐν τοῖς ἕνεκά του γίγνηται, ἀλλὰ καὶ ἐν οἷς ἡ προαίρεσις, τότε δὴ καὶ τὸ ἀπὸ τύχης προσαγορεύεται. — διὸ καὶ ἀπρονόητον αἰτίαν καὶ ἄδηλον ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ τὴν τύχην ἀπέδοσαν τῶν πάλαι ἔνιοι. — διὸ καὶ τὸ μὲν αὐτόματον, κοινὸν ἐμψύχων τὲ καὶ ἀψύχων. ἡ δὲ τύχη ἴδιον ἀνθρώπου, ἤδη πράττειν δυναμένου.* Cum causae rationesque, quibus Volkmannus [3]) hunc librum „de fato" cui inscribitur, Plutarchi esse negat, prorsus exploratae agnoscendae sint et a Zellero [4]) quoque (licet sententias in

1) Cf. R. Volkmann l. c., II, 109.
2) Cf. H. Peter, Hist. Rom. fragm., Lipsiae 1883, p. 266.
3) l. c. I, 146 sqq.
4) Die Philosophie der Griechen III, 2, p. 159 sqq.

hac dissertatione versantes Plutarcheae philosophiae optime innectat) probatae sint ac praeterea etiam illis, quae Benselerus [1]) hunc librum propter hiatus frequentiam reiciens iudicavit, adiuventur, illi loci facile a nobis praetermitti potuerunt, nisi rei plane cumulateque perficiendae gratia commemorandi fuissent simulque ostendere voluissemus illis ipsis locis consideratis priorum iudicia probari; nam nusquam alibi Plutarchus tam accuratam tyches definitionem, qualem hoc de fato libro tentatam videmus, dedit et a cogitationibus de intima tyches natura prorsus abhorret, quas Aristotelici philosophandi generis proprias videmus, ita ut ex Aristotelis disquisitionibus librum pendere recipiendum sit. Novissima quoque huius opusculi recensio [2]) gravissimis de causis ostendit Plutarchum id quidem non conscripsisse. Sed alios paucos locos de ipsa fortuna adiciamus redeamusque ad propositum. De superst. 7: *οὔτε γὰρ ἄνθρωπον, οὔτε τύχην, οὔτε καιρόν, οὔτ᾽ αὐτόν, ἀλλὰ πάντων τὸν θεὸν αἰτιᾶται*; vituperat Plutarchus homines, qui res adversas semper deo nec sibi ipsis aut fortunae imputent. Consolatio ad uxorem, 8: *μηδὲν ἔγκλημα πρὸς τὴν τύχην εἴχομεν. — μηδὲ ὅτι τὸ ἐλπιζόμενον οὐ προςέθηκεν ἡ τύχη, καὶ περὶ τοῦ δοθέντος ἀχαριστεῖν. Ἀεὶ μὲν γὰρ ἡ περὶ τὸ θεῖον εὐφημία καὶ τὸ πρὸς τὴν τύχην ἵλεων καὶ ἀμεμφές, καλὸν καὶ ἡδὺν ἀποδίδωσι καρπόν.* Adversus ea, quae hominibus a deo aut fortuna accidunt, fremere non licet. *μηδὲ πάντα καὶ πάντως μεμφομένοις τὴν τύχην.*

III. Tertio tyche significat casum fortemque, quamvis eius potestas sub hac quidem significatione angustissima sit et minimum ad hominum res gestas valeat. Ubi Plutarchus casum fortemque significat, plerumque significatione *αὐτόματον* utitur ac saepissime notiones *τύχη* et *αὐτόματον* mutuae vel propius inter se coniunctae tractantur [3]). Sed nonnumquam

1) De hiatu in scriptoribus Graecis, Freiberg 1841 I, 314 sqq.

2) R. Schmertosch, De Plutarchi sententiarum, quae ad divinationem spectant, origine; accedit epimetrum de Plutarchi qui fertur *περὶ εἱμαρμένης* libello. Diss. inaug. Leipzig 1889. p. 28 sqq.

3) Cf. de fort. 5: *ἀπὸ τύχης καὶ αὐτομάτως*. de Rom. fort. 12: *ἡ τύχη καὶ ταὐτόματον ἐποίησε.* de Alex. fort. I. 11: *αὐτοματισμὸν*

Plutarchus insolenti casui fortique res humanas subiectas esse denegat. Sertorius, 10: *ἐμοὶ δὲ ἀρετὴν μὲν εἰλικρινῆ καὶ κατὰ λόγον συνεστῶσαν οὐκ ἄν ποτε δοκεῖ τύχη τὶς ἐκστῆσαι πρὸς τοὐναντίον.* Quo loco gravissimo Plutarchus certam sententiam expromit, virtutes moresque natura insitos omni fortis impetui obstare nec ullo casu mutari posse. Marius, 26: „*τῷ δὲ Κάτλῳ τοὺς βαρβάρους ἀπὸ τύχης συρραγῆναι καὶ γενέσθαι τὸν ἀγῶνα καὶ ἐκεῖνον καὶ τοὺς ἐκείνου μάλιστα στρατιώτας, ἐν οἷς αὐτὸς ὁ Σύλλας τετάχθαι φησί* [1]). Brutus, 47: *τύχῃ δέ τινι* [2]) *μᾶλλον ἢ κακίᾳ τῶν ἐν ταῖς ναυσὶν ἡγεμόνων ἠγνόησε τὸ κατόρθωμα Βροῦτος ἡμερῶν εἴκοσι διαγενομένων.* de fort. 1: *ἐκ τύχης μὲν καὶ διὰ τύχην. — ἐκ τύχης δὲ καὶ διὰ τύχην. — διὰ τύχην.* 2: *ἔστω τύχης. — εἰς τὴν τύχην ἑαυτοὺς ἀφῶμεν. — ἔργα τῆς τύχης. — εἰ ὑπὸ τῇ τύχῃ πάντ᾽ ἐστίν.* 3: *ὡς τύχη τὰ τῶν βλεπόντων πράγματα. — τύχη τὰ τῶν ἀκουόντων. — τύχῃ δὲ καὶ φύσει κέχρηται. — μηδὲν τῆς τύχης, ἀλλὰ πάντα τῆς εὐβουλίας εἶναι.* 4: *βραχεῖά τις παρεμπίπτει τύχη. — τοῦτ᾽ ἔντεχνον τύχης μόνον ἱστορεῖται.* 5: *αἱ μὲν τέχναι τῆς τύχης οὐ δέονται.* de Rom. fort. 1: *πότερον κατὰ τύχην συνέστηκεν ἢ κατὰ πρόνοιαν*, cf. pag. 38. Hoc loco tyche fortem casumque significat, sed ipso libro procedente paullatim notionis significatio mutatur, ac postea dissertationem „de fortuna Romanorum“ inscriptam diligentius tractantes intellegemus tychen postremo eandem significationem habere quam *πρόνοια*, cui illo loco opposita est, qua re quanta sit notionum mutatio

---

τύχης. II. 3: *κατὰ τύχην γεγονέναι καὶ αὐτομάτως.* de fato, 7: *περὶ δὲ τῆς τύχης καὶ τοῦ αὐτομάτου.* de superst. 7: *ἂν δὲ δυσφορῇ καὶ βαρυπαθῇ, πάντας ἐπὶ τὴν τύχην καὶ τὸ αὐτόματον ἀπερειδομένου τοὺς ὀδυρμούς.* De oraculorum defectu: *ἀλλὰ χρωμένη πρὸς πάντα τῷ κατὰ τύχην καὶ αὐτομάτῳ.* Symp. IX: *καὶ πάλιν τῷ τελευταίῳ τὸν τελευταῖον ἐκ τύχης καὶ αὐτομάτως ἐπηκολουθηκέναι.* De Pythiae oraculis: *ὥσπερ οὐκ ἔχοντες ἀξιόχρεω τῶν τοιούτων συμπτωμάτων τὴν τύχην δημιουργὸν καὶ τὸ αὐτόματον. εἶτα (ἔφην ἐγώ) τύχῃ σου δοκεῖ καὶ αὐτομάτῳ τῶν τοιούτων ἕκαστον ἐοικέναι.*

1) Cf. H. Peter, Hist. Rom. fragm., Lipsiae 1883, p. 127 sqq.

2) Ubi *τύχη* cum pronomine indefinito coniuncta est, fortem casumque significare solet.

perspicue ostenditur. de Alex. fort. I. 11: *αὐτοματισμὸν τύχης*. II. 3: *ὑπὸ τύχης*. de defectu oraculorum, 24: *τὸ μικροτάτην τύχην παρεμπίπτειν*; quo loco maximi momenti ponderisque ad res humanas prae tyche esse divinationem praedicatur [1]). de superst. 7: *ὧν δὲ δυσφορῇ καὶ βαρυπαθῇ, πάντας ἐπὶ τὴν τύχην καὶ τὸ αὐτόματον ἐπερειδομένου τοὺς ὀδυρμούς*. Quaest. symp. VIII. 1: *ἅμα τῆς τύχης τὸν μιμητὴν τῶν τραγικῶν παθῶν ἐξαγούσης καὶ τὸν ἀγωνιστὴν ἐπεισαγούσης*. Tyches vis etiam ad duas graviores res mirum in modum coniungendas pertinet, cum Dionysium tyrannum eodem die natum esse, quo Euripides poëta mortuus sit, narretur. Simili modo multae aliae res casusque annecti solent [2]).

Sequatur nunc singularis tractatio locutionum apud Plutarchum satis frequentium quae sunt *κατὰ τύχην* et *ἀπὸ τύχης* [3]). Nam plerumque casus fortisque potestatem praedicant. Mor. 97 E: *εἰ πάντα παραίνεται κατὰ τύχην*. 316 C: *πότερον κατὰ τύχην συνέστηκεν ἢ κατὰ πρόνοιαν*. 317 A: *κατὰ τύχας ἐλαυνομένων*. 317 C: *οὐκοῦν κἀγὼ κατὰ τύχην πεπήρωμαι*. 320 B: *κατὰ τύχην*. 335 D: *κατὰ τύχην γεγονέναι καὶ αὐτομάτως*. 399 D: *συνέπεσε κατὰ τύχην αὐτομάτως*. 421 E: *ἀλλ' ἔνιοι μὲν οὖν ὀρθῶς κατὰ τύχην ἐκλήθησαν*. 740 C: *ὡς εἰκῇ καὶ κατὰ τύχην γινόμενον*. 1101 B: *ἔναγχος γὰρ κατὰ τύχην τὰς ἐπιστολὰς διῆλθον αὐτοῦ*. Saepius etiam *τὸ κατὰ τύχην* memoratur. 426 D: *ἀλλὰ χρωμένη πρὸς πάντα τῷ κατὰ τύχην καὶ αὐτομάτῳ*. 435 D: *ἀλλὰ τῷ κατὰ τύχην καὶ αὐτομάτως ἀνατίθεσθαι*. 1115 B: *τὸ δὲ κατὰ φύσιν ἕπεσθαι τῷ κατὰ τύχην*. Sunt multae eiusdem modi locutiones etiam in Vitis parallelis, ubi conferas quaeso 108 F. 142 B. 145 B. 190 E. 206 D. 225 C. 357 A. 362 C. 375 A. 384 B. 426 F. 427 D. 428 E. 461 A. 511 A. 568 C. 573 C. 599 E. 629 B. 671 E. 759 B. 822 B. 1035 B, F. Eandem

---

1) Cf. R. Schmertosch, De Plutarchi sententiarum, quae ad divinationem spectant, origine. Diss. inaug. Leipzig 1889.

2) F. Roesiger l. c., p. 8. H. Diels, Chronologische Untersuchungen über Apollodors Chronika. Rheinisches Museum XXXI (1876), p. 1 sqq.

3) Cf. Wyttenbach, Lexicon Plutarcheum II, 849.

casus fortisque potestatem praedicat locutio quae est *ἀπὸ τύχης*. Marius, 26: *τοὺς βαρβάρους ἀπὸ τύχης συρραγῆναι*. Pompeius, 42: *τῶν ἀπὸ τῆς τύχης ἀγαθῶν*. Alexander, 20: *τῶν ἀπὸ τῆς τύχης ὑπαρχόντων*. Mor. 35 C: *ἀλλ᾽ ἀπὸ τύχης γινόμενον*. 40 B: *οὐκ ἀπὸ τύχης οὐδ᾽ αὐτομάτως*. 97 C: *ἀπὸ τύχης*. 98 C: *οὐκ ἀπὸ τύχης οὐδ᾽ αὐτομάτως*. 99 D: *ὡς οὐδὲ τούτων γιγνομένων ἀπὸ τύχης*. 99 E: *ἀπὸ τύχης καὶ αὐτομάτως*. 339 A: *ἀπὸ τύχης*. 399 A: *οἷς γινομένων ἐνίων ἀπὸ τύχης*. 399 E: *ἀλλ᾽ ἀπὸ τύχης καὶ αὐτομάτως*. 571 E: *τότε δὴ καὶ τὸ ἀπὸ τύχης προςαγορεύεται*. cf. p. 35. 798 D: *πολλοὶ δὲ ἀπὸ τῆς τύχης ἀψάμενοι τῶν κοινῶν καὶ ἀναπλησθέντες*. 1059 B: *οὐκ ἀπὸ τύχης ἀλλ᾽ ἐκ προνοίας*. Conferas quaeso etiam Vit. 163 E. 929 D. 1036 A.

Tyche pluraliter allata singulos fortunarum casus significare solet. Dion. 2: *αἱ δὲ τύχαι τοῖς συμπτώμασι μᾶλλον ἢ ταῖς προαιρέσεσιν οὖσαι αἱ αὐταί*. Consolatio ad Apollonium: *τὸ γὰρ μὴ δι᾽ αὑτὸν κακῶς πράττειν ὁ μὲν Κράντωρ φησὶν οὐ μικρὸν εἶναι κούφισμα πρὸς τὰς τύχας, ἐγὼ δ᾽ ἂν εἴποιμι φάρμακον ἀλυπίας εἶναι μέγιστον*. Septem sapientium Convivium: *ἄλλοτε γὰρ ἄλλος ἐστὶ ταῖς χρείαις, διὰ τὰς ἐπιθυμίας καὶ τὰς τύχας*. Qui quidem loci a scriptis, de quorum origine Plutarchea dubitatur, petiti sunt. Sed certe Plutarchus tyches nomen saepe pluraliter adhibet, ut mutabilia incertaque exprimat. Aemilius Paulus, 34: *ἀλλὰ καθ᾽ Ὅμηρον ἄριστα δοκῶσι πράττειν οἷς αἱ τύχαι τροπὴν ἐπ᾽ ἀμφότερα τῶν πραγμάτων ἔχουσιν*. cf. p. 40. Consolatio ad Apollonium 5: *οὕτω καὶ ἐν βίῳ πολλαὶ καὶ ποικίλαι περιστάσεις γιγνόμεναι πρὸς τὰς ἐναντίας περιάγουσι τοὺς ἀνθρώπους τύχας*. cf. p. 41. Cons. ad Apoll. 6: *ἀνθρώπων γὰρ ὄντως θνητὰ μὲν καὶ ἐφήμερα τὰ σώματα, θνηταὶ δὲ τύχαι καὶ πάθη, καὶ παντ᾽ ἁπλῶς τὰ κατὰ τὸν βίον*, cf. p. 42. de Rom. fort. 2: *κατὰ τύχας ἐλαυνομένων*. cf. p. 38. de Alex. fort. II. 8: *οὕτως αἱ τύχαι ποιοῦσι βασιλεῖς, μεταμφιέζουσι, μεταγράφουσι ταχύ, ῥαδίως, μὴ προςδεχομένους μήδ᾽ ἐλπίζοντας*. Gentium quoque propitias *τύχας* affert Plutarchus. Phocion, 1: *αἱ τύχαι τῆς Ἑλλάδος*. cf. p. 47.

IV. Quarto tyche instabilem mobilemque vim significat,

omnino de tyche quoque creditum est [1]). 6: *ἀνθρώπων γὰρ ὄντως θνητὰ μὲν καὶ ἐφήμερα τὰ σώματα, θνηταὶ δὲ τύχαι καὶ πάθη, καὶ πάντ' ἁπλῶς τὰ κατὰ τὸν βίον.*

Rei plane perficiendae gratia hos quoque locos ex „consolatione ad Apollonium“ citavi, quamquam ea secundum probabile Volkmanni [2]) iudicium, cui Zellerus [3]) quoque assentitur, non est Plutarchi. Quae Benselerus [4]) primus huic libro propter leges, quas secutus est Plutarchus in evitando hiatu, aperte neglectas fidem derogans de consolatione Pseudoplutarchea iudicavit, causis a Volkmanno allatis, sententiis insignibus et a ceteris dissentientibus alienaque forma atque dicendi modo, hapaxlegomenis saepissime occurrentibus, porro iis, quae de Pericle, Demosthene, Dione narrantur, cum explicatione in vitis eorum apparente discrepantibus, denique abundantia miroque citatorum usu prorsus adiuvantur neque eis, quae Dinseus [5]) ac Patzigius [6]) contradixerunt, reici posse videntur. Nam illi, cum ex toto libri genere atque habitu et singillatim ex figuris, translationibus, imaginibus Plutarchi solum propriis saepe repetitis et ex citatis in aliis quoque Plutarchi scriptis etiam atque etiam recurrentibus concludat hanc „consolationem“ sine dubio Plutarchi esse, ac rectissime censeat, utrum libellus aliquis Plutarchi sit necne, sermonem tantum et elocutionem exquirendo et considerando diiudicandum esse, respondere possumus in hoc ipso libello sermonem atque elocutionem vehementer cum ea discrepare, quam in aliis Plutarchi scriptis reperimus. Qua in re innititur alter ille [7])

---

1) Cf. E. Rohde, Der griechische Roman und seine Vorläufer, p. 281.

2) Commentatio de consolatione ad Apollonium Pseudoplutarchea. Philologenversammlung zu Halle. Jauer 1867. Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch I, 129 sqq. Cf. Fuhr, Rhein. Mus. XXXIII (1878), p. 590.

3) Die Philosophie der Griechen III. 2, p. 159 sqq.

4) De hiatu in scriptoribus Graecis I, 546.

5) Beiträge zur Kritik der Trostschrift Plutarchs an Apollonius, Berlin 1874.

6) Quaestiones Plutarcheae. Diss. inaug. Berlin 1876.

7) H. Patzig l. c. recte dicit: „fluctuavit enim eius dicendi genus atque multas perpessum est mutationes, priusquam ad eam eloquentiam

qui hunc libellum Plutarchi esse defendit, cum consolationem a iuvene Plutarcho scriptam esse aestimet. Quam ad rem diiudicandam tyches, sicuti in hoc libello versatur, notio minimum valet, quae ibi nullam propriam ac singularem significationem habet et a Plutarcho quoque optime adhiberi potuisset, quoniam fortunae mutabilitatis atque infirmitatis in hoc libello praedicatae saepissime Plutarchus quoque mentionem facit. Sane quidem ex notionis tam saepe easdem significationes praebentis frequentia minime possumus diiudicare, utrum libellus a Plutarcho scriptus sit necne. Cuiuscumque autem sit, sine dubio eum nullas sententias scriptoris materiam ex variis scriptis congerentis proferre Roesigerus [1]) ostendit. Sed miramur, et Roesigerum et Patzigium Wyttenbachio [2]) assentiri, libellum esse immaturi adulescentis, quocontra nobis Volkmannus [3]) rectam sententiam aperuisse videtur.

Denique accedunt loci hi: de Rom. fort. 1: *κατηγορεῖται τύχη δ' ὡς ἀβέβαιον μὲν ἀγαθὸν δέ. — τὴν δ' (τύχην) ἄπιστα δωρεῖσθαι.* Consolatio ad uxorem, 9: *ὅτι μὲν γὰρ ἐξ ὀρθῶν ἐπιλογισμῶν εἰς εὐσταθῆ διάθεσιν τελευτώντων ἤρτηται τὸ μακάριον, αἱ δ' ἀπὸ τῆς τύχης τροπαὶ μεγάλας ἀποκλίσεις οὐ ποιοῦσιν, οὐδ' ἐπιφέρουσι συντυχικὰς ὀλισθήσεις τοῦ βίου, πολλάκις ἀκήκοας.*

V. Quinto tyche salutarem propitiamque vim, fortunam bonam hominibus faventem significat, quae significatio nobis variis versionibus obvia est. Pericles, 2: *τῶν μὲν γὰρ ἐκ τῆς τύχης ἀγαθῶν τὰς κτήσεις καὶ ἀπολαύσεις, τῶν δ' ἀπ' ἀρετῆς τὰς πράξεις ἀγαπῶμεν.* Plutarchus paucis breviter, sed dilucide ostendit, quantum differant inter se bona, quae fortuna nobis praebeat, eaque, quae nostra virtute ac prudentia nobis colligamus; nam illis delectamur, quod fruimur iis, haec autem praecipue gaudium nobis afferunt, quod labore comparanda sunt et ita officium intuendi studium excitant bonamque

---

pervenit, quam in plerisque eius scriptis miramur et multo pluris aestimaremus, nisi cum verborum laevitate saepius coniuncta esset rerum levitas".

1) l. c., p. 12 sq.

2) Animadversiones in Plutarchi opera moralia II, 27.

3) l. c. I, 145.

conscientiam praebent. Fabius Maximus, 17: ἕπεσθαι τῇ τύχῃ. Aemilius Paulus, 12: τύχην ἀγαθὴν περὶ τὰ πράγματα γενέσθαι. Quo in capite legimus Plutarchum res ex exterioribus tantum causis ac praecipue e naturae casibus fortuitis pendentes fortunaeque tribuendas distinxisse ab iis, ad quas tyche quidem aliquid valuerit, sed quae omnino nostra ipsorum virtute ac moribus sapientiaque contineantur. Ubi intimas ac postremas rerum adversarum causas cognovimus, eas vehementer reicere possumus, quam opinionem Polybium quoque habuisse Baurius [1]) ostendit. Aemilius Paulus, 24: ὑπερβάλλει δὲ θειότητι πάντως καὶ τύχῃ τὰ τῆς φήμης. Quo loco θειότης cum tyche ut simile aliquid ac praecipue pari effectu eventuque praestans coniungitur; nam τύχης atque αὐτομάτου, immo ipsius dei vel deorum notiones a Plutarcho saepissime aequali ac pari sensu praeditae eiusdemque significationis obscurae, inexploratae, inexplicabilis potestatis participes adhibentur, quae liberae hominum voluntati adversa ad res humanas plurimum valeat. Pelopidas, 13: πρᾶξιν βραβευθεῖσαν ὁμοίως ὑπὸ τῆς τύχης. 25: πάντες ὑπερηγάπων τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν τύχην ἐθαύμαζον. Quo loco τύχη praeter ἀρετὴν ut vis laudatur, qua instructum ornatumque esse summum meritum habendum sit; nam fortunam bonam atque felicitatem, cum perpaucis obtingant, difficillimum videtur in servitutem nostram asserere. Et quae sit vera felicitas atque beatitudo, de hac quaestione homines vehementer dissentiunt, cum in primis norma regulaque opus sit, qua res metiamur et quae nunquam certa data sit. Recte Curtius [2])

---

1) De tyche in pragmatica Polybii historia disputatio.

2) Altertum und Gegenwart I, 303: „Die meisten haben immer das Wesen des Glücks darin gefunden, dafs es etwas aufserhalb aller Berechnung Liegendes und von der Thätigkeit des Menschen durchaus unabhängig sei; die Weisen des Altertums haben uns aber schon einen andern Standpunkt kennen gelehrt. Sie haben erkannt, dafs das, was alle Menschen haben, nach ihrem innersten Naturtriebe erstreben, unmöglich etwas Derartiges sein könne, was einzelnen Begünstigten durch Zufall in den Schofs falle und ebenso leicht dem Besitzer wieder abhanden komme. Es könne dasselbe vielmehr nichts anderes sein, als die Verwirklichung dessen, worauf die menschliche Natur angelegt, die Er-

censet de iis, quae Graeci hac de re senserunt. Quae opinio in Plutarchi quoque scriptis versatur. Marcellus, 3: *θαυμαστὸν μὲν ἐδόκει καὶ τύχης ἀγαθῆς γενέσθαι.* Plutarchus falsam sententiam illorum, qui in fortuna famaque suae ipsorum voluntati minime subiecta atque obnoxia acquiescunt, at contra virtutem solam omnium bonorum in ipsorum potestate positam parvi aestimant, acriter impugnat; Aristides, 6: *ἀλλά, καίπερ οὕτω διακείμενοι, τῆς μὲν ἀθανασίας, ἣν ἡ φύσις ἡμῶν οὐ δέχεται, καὶ τῆς δυνάμεως, ἧς ἐν τύχῃ κεῖται τὸ πλεῖστον, ἐπιθυμοῦσι, τὴν δ' ἀρετήν, ὃ μόνον ἐστὶ τῶν θείων ἀγαθῶν ἐφ' ἡμῖν, ἐν ὑστέρῳ τίθενται, κακῶς φρονοῦντες, ὡς τὸν ἐν δυνάμει καὶ τύχῃ μεγάλῃ καὶ ἀρχῇ βίον ἡ μὲν δικαιοσύνη ποιεῖ θεῖον, ἡ δ' ἀδικία θηριώδη.* Fortuna nobis labore comparanda est nec dona sua indignis vel immeritis praebet; nonnumquam quidem ea indignis neque contendentibus nobis largitur; Pyrrhus, 13: *ἡ μὲν τύχη παρεῖχε χρῆσθαι τοῖς παροῦσιν ἀπραγμόνως.* 22: *πολλὰ δὴ τύχην μεμψάμενος, ὅτι πράξεων μεγάλων ὑποθέσεις εἰς ἕνα καιρὸν αὐτῷ συνήνεγκε.* Marius, 46: *καθάπερ φιλοχρήστου τῆς τύχης ἅπασαν δόσιν εἰς μεγάλην χάριν τιθέμενον. — τοῦτο τῆς τύχης ὡς ἀλλότριον ἐκβάλλοντες.* Lysander, 5: *ταύτην μὲν οὖν τὴν μάχην, καίπερ οὐ μεγάλην τῇ πράξει γενομένην, ἡ τύχη δι' Ἀλκιβιάδην ὀνομαστὴν ἐποίησεν.* Quae pugna, cum fortuna nonnullis praecipue faveat, Alcibiade participe clara facta est.

Sulla quoque fortunae praecipue dilectus erat, quam in commentariis suis rerum gestarum [1]) de se ipso praedicaverat; quibus ex commentariis sumpsit Plutarchus rerum scientiam, cum in vita Sullae, 6, dicat: *Σύλλας δὲ οὐ μόνον ἡδέως προςιέμενος τὸν τοιοῦτον εὐδαιμονισμὸν καὶ ζῆλον ἀλλὰ καὶ*

---

füllung ihrer sittlichen Zwecke. So haben die Griechen den Begriff des Glücks der Sphäre des Zufälligen entrückt und ihn, als den des höchsten Gutes, kühn und sicher in die Mitte ihrer Sittenlehre gestellt, sie haben die Begriffe von Tugend und Glück unzertrennlich miteinander verbunden."

1) Cf. A. Schaefer, Grundzüge zur Quellenkunde der griechischen und römischen Geschichte II, 56. H. Peter, Hist. Rom. fragm., Lipsiae 1883, p. 127 sqq.

συναύξων καὶ συνεπιθειάζων τὰ πραττόμενα τῆς τύχης ἐξῆπτεν, εἴτε κόμπῳ χρώμενος εἴθ᾽ οὕτως ἔχων τῇ δόξῃ πρὸς τὸ θεῖον. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι γέγραφεν, ὅτι τῶν καλῶς αὐτῷ βεβουλεῦσθαι δοκούντων αἱ μὴ κατὰ γνώμην ἀλλὰ πρὸς καιρὸν ἀποτολμώμεναι πράξεις ἔπιπτον εἰς ἄμεινον. ἔτι δὲ καὶ δ᾽ ὧν φησι πρὸς τύχην εὖ πεφυκέναι μᾶλλον ἢ πρὸς πόλεμον τῇ τύχῃ τῆς ἀρετῆς πλέον ἔοικε νέμειν καὶ ὅλως ἑαυτὸν τοῦ δαίμονος ποιεῖν, ὅς γε καὶ τῆς πρὸς Μέτελλον ὁμονοίας, ἰσότιμον ἄνδρα καὶ κηδεστήν, εὐτυχίαν τινὰ θείαν αἰτιᾶται· πολλὰ γὰρ αὐτῷ πράγματα παρέξειν ἐπίδοξον ὄντα πρᾳότατον ἐν τῇ κοινωνίᾳ γενέσθαι τῆς ἀρχῆς. Sulla, 19: διὸ καὶ τοῖς τροπαίοις ἐπέγραψεν Ἄρη καὶ Νίκην καὶ Ἀφροδίτην, ὡς οὐχ ἧττον εὐτυχίᾳ κατορθώσας ἢ δεινότητι καὶ δυνάμει τὸν πόλεμον. Et Plutarchus quoque adstipulari videtur Sullam fortunae filium esse, cum in vita Sullae, 5, dicat: τοῦτο τῆς μεγάλης δοκεῖ Σύλλα τύχης γενέσθαι. Conceditur singulis hominibus egregiis esse suam tychen, de Alex. fort. II, 3: τὴν τύχην Ἀλεξάνδρου. de Rom. fort. 7: τύχην δὲ τὴν αὐτοῦ. — ἐγὼ γὰρ καὶ Κλεοπάτραν αὐτὴν Τύχην Καίσαρος τίθημι. — καὶ ἡ τύχη σου καθ᾽ ἑαυτὴν μεγάλη. de Alex. fort. II, 1: τοῦτο μὲν οὐ τῆς Ἀλεξάνδρου τύχης γέγονεν, ἀλλὰ τῆς ἐκείνων. Marius, 46: ὑμνεῖ τὸν αὑτοῦ δαίμονα καὶ τὴν τύχην. Ipsum nasci tyches consilium esse videtur, cum Plato moriturus fortunae gratias agat, primum quod homo, deinde Graecus, denique Socratis aequalis natus esset [1]). Demosthenes, 21: ἐξοιωνιζόμενος τὸν ἴδιον δαίμονα καὶ τὴν τύχην. Tyche et daemon cum hic tum multis aliis locis coordinati sunt [2]) et cum genio Romanis sancto comparari possunt [3]). Nam sicuti in primis

---

1) Cf. Pohl, Dämonologie des Plutarch. K. Lehrs l. c., p. 198.

2) Cf. Thes. et Rom. comp. 3: εἰ δὲ δεῖ καὶ τὰ δυστυχηθέντα μὴ παντάπασι ποιεῖσθαι δαίμονος ἀλλ᾽ ἠθικὰς καὶ παθητικὰς ζητεῖν ἐν αὐτοῖς διαφοράς. Aemilius Paulus, 12: κατὰ δαίμονα τίθημι. de fort. 1: δαίμονι κακῷ καὶ τύχῃ χρησάμενος. de Alex. fort. I. 13: τύχης καὶ δαίμονος φθονεροῦ καὶ νεμέσεως ἔσται τὸ ἔργον.

3) De variis genii significationibus conferas quaeso Birtium apud Roscher, Lexikon der griechischen und römischen Mythologie, Leipzig

singuli homines genium suum habent, qui eos comitatur ac custodit [1]), sic daemonem et tychen homines servare et custodire Graecis persuasum erat. Qua in re Graecorum religio vehementem a Romanis impulsum accepisse videtur, cum genii cultus sine dubio a Romanis inventus et auctus sit [2]). Ac sicuti singularis genii notio a Romanis paulatim in universalem traducta est, ita ut familiae, gentes, urbes, res publicae, societates, ordines, loci, tempora suum genium haberent, sic tyche quoque hac significatione nobis offertur, quam in Plutarchi operibus saepius reperimus. Ut exemplis utamur, tychen urbis nominat in Pyrrhi vita, 29: *ἡ δ' ἀγαθὴ τύχη τῆς πόλεως εἴτε πεῖραν ἀρετῆς λαμβάνουσα τῶν ἀνδρῶν, εἴθ' ἑαυτῆς, ὅσην ἐν ἀπόροις ἔχει δύναμιν, ἀπόδειξιν διδοῦσα.* de Rom. fort. 12: *οὐ μὴν ἠπόρησεν ἡ τῆς Ῥώμης τύχη φωνῆς.* Quae tyche eadem est atque genius populi Romani vel genius publicus, quem nec Plutarchus ignorat; de Rom. fort. 11: *δημοσίᾳ τύχῃ χρώμενος.* Tychae privatae respondet tyche publica omnibus communis omnesque adiuvans. Sed gentibus quoque sua tyche vel et complures *τύχαι* sunt. Phocion, 1: *αἱ τύχαι τῆς Ἑλλάδος.* Singulis quoque hominum ordinibus generibusque sua tyche est. de Alex. fort. I, 11: *καθάπερ τινὰ τύχης βασιλικῆς νέμεσιν συγκαλύπτων.* Saepe loci alicuius vel certi temporis et diei tyche nobis offertur. Marius, 26: *εὔξατο δὲ Κάτλος,*

1884—1890, sub vocabulo „genius". Cf. L. Preller, Römische Mythologie, p. 566 sqq.

1) Cf. Birt l. c.: „Gewifs sind die Personalgenien die älteste Erscheinung des Genienglaubens gewesen, welcher erst mit der Zeit vielfältige Erweiterung erfuhr."

2) Cf. Birt l. c.: „Es ist übrigens gut, sich hier der Dämonenlehre des jüngern Platonismus bei Plutarch und Apulejus zu erinnern, wenn es schon gewagt scheint, einen direkten Sachzusammenhang zu behaupten. Dafs die griechischen Dämonen den Genien gleichgesetzt wurden, ist bekannt. Plutarch (de defectu oraculorum, p. 421) lehrt, die Götter selbst könnten Erregungen und Leidenschaften nicht ausgesetzt sein; wenn man sagt, ein Gott hasse oder liebe, so sei dies falsch ausgedrückt; nur sein Dämon habe diese Affektionen: denn jedem Gott eigne ein Dämon; Apulejus aber, der de deo Socratis dasselbe ausführt, meint § 151, dies entspreche den römischen Genien."

ὁμοίως ἀνασχὼν τὰς χεῖρας, καθιερώσειν τὴν τύχην τῆς ἡμέρας ἐκείνης. Romani venerabantur „fortunam huiusce diei", quae Graecorum *καιρῷ* respondet. de Alex. fort. II, 4: *πρὸς τὴν τότε τύχην.* Quibus exemplis cum appareat Plutarchum tychen saepius ut genium finxisse, facile adducimur, ut credamus Plutarchum e Romano genii cultu suam tyches significationem hausisse. Sed multo magis quam tyche apud Graecos pro genio stat daemon, qui modo bonus modo malus praedicatur [1]). Cum genius semper bonus ac fidus hominum mentor sit, qui commodis eorum utilitatique serviat, Graeca quoque *τύχη* saepissime augetur et ornatur vocabulo *ἀγαθή.* Aemilius Paulus, 12: *τύχην ἀγαθὴν περὶ τὰ πράγματα γενέσθαι.* Marcellus, 3: *θαυμαστὸν μὲν ἐδόκει καὶ τύχης ἀγαθῆς γενέσθαι.* Pyrrhus, 29: *ἡ δ' ἀγαθὴ τύχη τῆς πόλεως.* de Rom. fort. 9: *ἀλλὰ Νομᾶς ἔοικε τὴν ἀγαθὴν τύχην ἔχειν ὡς ἀληθῶς σύνοικον καὶ συνέδρον καὶ συνάρχουσαν.* Ita *ἀγαθὸς δαίμων* vel *ἀγαθὴ τύχη* plerumque Romanorum „bonum eventum" significat [2]). Sed redeamus ad materiam institutam.

Plutarchus hanc quoque esse sapientiam, ne fortuna uti ac frui ignoremus, censet. Sulla, 30: *Σύλλας δὲ μετρίως τὰ πρῶτα καὶ πολιτικῶς ὁμιλήσας τῇ τύχῃ.* Lucullus, 33: *τὴν τύχην ἑπομένην συστρατηγεῖν.* Crassus, 11: *Κράσσου δὲ τῇ τύχῃ χρησαμένου.* Nic. et Crassi comp. 5: *οὐδὲν τῇ τύχῃ χρηστὸν ἀποδείξασθαι παρῆκεν.* Hoc quoque saepe in Plutarchi scriptis versatur, fortunae campum concedendum esse, in quo assiduam utilemque se praebere possit. Sertorius, 1: *ἄφθονον ἔχει τῆς τῶν ἀποτελουμένων ὁμοιότητος χορηγὸν ἡ τύχη τὴν τῆς ὕλης εὐπορίαν.* Pompeius, 53: *οὕτως ἡ τύχη μικρόν ἐστι πρὸς τὴν φύσιν.* Quo loco Plutarchus haud ambiguam sententiam expromit, prae fortuna plurimum ad res gerendas

---

1) Cf. Pohl, Die Dämonologie des Plutarch. F. A. Ukert, Über Dämonen, Heroen und Genien. Abhandl. d. kgl. sächs. Gesellschaft der Wiss. zu Dresden. II, 139 sqq. Ed. Gerhard, Über Wesen, Verwandtschaft und Ursprung der Dämonen und Genien, Berlin 1852. Lobeck, Aglaoph. p. 595.

2) Cf. Birt l. c.

valere hominum naturam, virtutem, consilium moresque. Alexander, 20: *Ἀλεξάνδρῳ δὲ τὸν μὲν τόπον ἡ τύχη παρέσχεν.* 26: *ἥ τε γὰρ τύχη ταῖς ἐπιβολαῖς ὑπείκουσα τὴν γνώμην ἰσχυρὰν ἐποίει.* Caesar, 53: *ἐχρῆτο τῷ καιρῷ καὶ τῇ ῥύμῃ τῆς τύχης.*

Consilium ac virtutem, ut summa consequamur, fortuna misceri opus esse conceditur. Dion, 1: *ὅτι δεῖ φρονῆσαι καὶ δικαιοσύνῃ δύναμιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ καὶ τύχην συνελθεῖν.* Similia docet oratio de Alex. fort. II, 3: *ἡ τύχη κοσμεῖ τὴν ἀρετήν.* Quanticumque virtus aestimetur, amoenum gratumque insuper ei cumulum addit tyche, quae virtutem splendore auget. Et legimus in dissertatione de Rom. fort. 5: *καὶ τάχα που τῇ τύχῃ τὴν ἀνδρείαν παρωνόμασεν, ἧ πλεῖστον εἰς τὸ νικᾶν τύχης μέτεστι.* Fortitudinem fortunamque misceri opus est, ut certum eventum consequamur. Sed in eiusdem libelli capite decimo inversam fortitudinis tychesque rationem reperimus, ubi exstat: *ὅτι πλεῖστον ἡ ἀνδρεία τύχης εἰς τὸ νικᾶν μετέσχηκε.* Illo loco fortitudini, ut magnos eventus consequatur, tychen favere opus esse, hic virtute ac fortitudine necesse esse tychen adiuvari, ut magna perficiat, Plutarchus censet.

Aratus, 9: *ἀλλὰ καθαρὰν καὶ ἄθικτον αἵματος ἐμφυλίου τὴν πρᾶξιν ἡ τύχη διεφύλαξε.* de Rom. fort. 1: *αἱ πολλοὺς πολλάκις ἠγωνισμέναι καὶ μεγάλους ἀγῶνας ἀρετὴ καὶ τύχη πρὸς ἀλλήλας μέγιστον ἀγωνίζονται τὸν παρόντα. — αὔξουσιν ἀμφότεραι πόλεις, κοσμοῦσιν ἄνδρας, εἰς δόξαν ἀνάγουσιν, εἰς δύναμιν, εἰς ἡγεμονίαν.* 2: *εἰ κατὰ πάνυ πρὸς ἀλλήλας ἀεὶ πολεμοῦσι καὶ διαφέρονται τύχη καὶ ἀρετή. — πολλῆς δὲ καὶ τύχης συνελθούσης.* 3: *μὴ καὶ ταύτην τῇ τύχῃ χαρίζῃ.* 4: *μεγαλύνει τὴν τύχην. — ἀρθεὶς ὑπ᾽ αὐτῆς* (*τύχης*). — *ἀντικρυς οὗτος τῇ τύχῃ μετὰ τῶν πράξεων ἑαυτὸν εἰςεποίει. — πλεῖστον γὰρ Ἀφροδίτης τύχη μετέσχηκεν.* Quo loco praeter noctem tyche quoque patrona amoris praedicatur. 5: *ὑπὲρ τῆς τύχης ἐπάγοιτο μάρτυρας. — τῇ τύχῃ πλέον ἢ τῇ ἀρετῇ νέμοντας.* 6: *τῆς τύχης τὸν καιρὸν ὑπερθεμένης.* 7: *καθάπερ ἔργῳ μεγάλῳ δημιουργὸν ἐπιγράψας ἑαυτῷ τὴν τύχην.* 8: *ἀλλὰ γὰρ αἱ μὲν ἀπὸ τῶν μαρτύρων πίστεις τοσαῦται τῇ τύχῃ πάρεισι. — τὴν μὲν τύχην ὑποβολὰς κατατεθεῖσθαι,*

τὴν δὲ ἀρετὴν ἐξῳκοδομηκέναι. Quo loco explicatur causas atque fundamenta omnium rerum in fortuna posita esse virtutemque exaedificationem modo et finem curare. Principia rerum e fortuna pendere solent ac procedentibus demum rebus hominum virtutes consiliaque eas sistere aut urgere et augere possunt. 8: *τύχης κλέμμα καὶ σόφισμα. — ταύτην (ἀρχὴν) δ' ἡ τύχη παρέσχε, σώσασα καὶ φυλάξασα τὸν κτίστην. — ἡ μὲν γὰρ ἀρετὴ μέγαν ἐποίησε Ῥωμύλον, ἡ τύχη δ' ἄχρι τοῦ γενέσθαι μέγαν ἐτήρησε.* 10: *αὐτὸς ἑαυτὸν εἰς τὴν τύχην ἀνῆπτε καὶ ἀνεδεῖτο τὴν ἡγεμονίαν ἐξ ἐκείνης. — εἰδὼς ὅτι μεγάλη ῥοπὴ μᾶλλον δ' ὅλον ἡ τύχη παρὰ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα. — οὕτως ἡ Σερουίου βασιλεία παντάπασι τῆς τύχης. — δι' εὐτυχίαν.* Pro tyche ut salutari ac propitia vi Plutarchus saepe *εὐτυχίαν* ponit [1]). 11: *ὤρθου τὴν πόλιν ἡ τύχη. — ἡ τύχη καὶ αὐτόματον ἐποίησε.* 12: *τύχης ἰσχύν. — οὐδ' ἀμφισβήτησις ἔστι πρὸς τὴν τύχην. — τὴν τῆς τύχης εὐμένειαν.* de Alex. fort. I, 1: *παρὰ τῆς τύχης λαβεῖν τὴν ἡγεμονίαν.* 2: *ἐμὲ δ' ἡ τύχη μόνον συνείρξειν.* 3: *παρασκευασθὲν ὑπὸ τῆς τύχης ἐφόδιον.* 7: *τύχης ἦν.* 9: *κολακεύοντες αὐτοῦ τὴν τύχην.* 10: *οὐ γὰρ προέκρινε τὴν τύχην τῆς σοφίας.* II, 3: *τῶν τῆς τύχης ἀγαθῶν τρόπαιον. — ποιησάτω ἡ τύχη.* 4: *ἡ τύχη ποιεῖ. — μέγα δὲ τῷ ἄρχειν Ἀλέξανδρον ἡ τύχη. — οὕτως ἡ τύχη.* 5: *πῶς ἀρετῇ βασιλεύουσιν ἄνθρωποι καὶ πῶς τύχῃ. — ᾧ τῆς Ἀλεξάνδρου δυνάμεως ἡ τύχη σμικρὸν ἀποσπάσασα προςέθηκε.* 6: *διὰ τύχην κρατεῖν.* 7: *πρόςγραψον τῇ τύχῃ τὰ Ἄρβηλα. — τύχη τὴν Τύρον ἔσεισεν αὐτῷ καὶ τύχη τὴν Αἴγυπτον ἀνέῳξε. — διὰ τύχην. — ἡ τύχη ἐφρούρει.* 8: *καὶ*

1) Cf. Aemilius Paulus, 12: *οὐκ ἔχω τῇ λεγομένῃ τοῦ ἀνδρὸς εὐτυχίᾳ λαμπρὸν ἀποδοῦναι καὶ διάσημον ἔργον.* Nic. et Crassi comp. 5: *τῆς Ῥωμαίων εὐτυχίας.* Sulla, 27: *ἐκδηλότατα τοῦ θεοῦ τὰς εὐτυχίας προσημαίνοντος αὐτοῦ.* de Rom. fort. 1: *βεβαιότατον εὐτυχίαν.* 6: *ὑπ' εὐτυχίας ἤρθη μέγιστος.* 8: *εὐτυχίας θαυμαστῆς γενέσθαι.* 9: *εὐτυχία διεκυβέρνησε θαυμαστή. — βεβαιῶσαι τὴν αὔξησιν τῇ εὐτυχίᾳ. — εὐτυχίας μαρτύρια.* de Alex. fort. II. 4: *εἰς εὐτυχίαν τιθέσθαι.* de se ipsum citra invidiam laudando, 11: *μᾶλλον γὰρ εὐτυχίας ἢ ἀρετῆς ἡττᾶσθαι βούλονται.*

γὰρ εἰ διὰ τύχην μέγας γέγονε, μείζων ἐστίν, ὅτι τῇ τύχῃ καλῶς κέχρηται. καὶ ὅσῳ τὶς ἂν μᾶλλον αὐτοῦ τὴν τύχην ἐπαινῇ, τοσούτῳ μᾶλλον αὔξει τὴν ἀρετήν, δι' ἣν ἄξιος τῆς τύχης ἐγένετο. Memorabile est Plutarchum censere fortuna sapienter uti iam laudem esse, sed virtutem demum hominem dignum facere fortuna fruendo; sine virtute nullo modo ea sapienter uti scire. 8: τὶ τὸ τῆς τύχης ἔργον. — ὑπὸ τῆς τύχης. — διὰ τύχην. 9: πρὸς τὴν τύχην. 10: βαρυτέρᾳ κεχρῆσθαι τύχῃ. — πρὸς τὴν τύχην. 11: διὰ τὴν τύχην. — ἐνίστατο δ' ἡ τύχη. 13: διὰ τύχην. — ὑπὸ τύχης. — ἡ τύχη μεγάλα καὶ λαμπρὰ διέφηνεν ἔργα. — ὑπὸ τῆς τύχης φυλαττόμενος. — τῆς δὲ νῦν ἐξεταζομένης τύχης οἷον τὸ ἔργον. — διὰ τύχην. — ἔθηκεν ἡ τύχη. Quaest. Rom. 74: πότερον ὅτι μικρὸς ὢν ἐν ἀρχῇ καὶ ταπεινὰ πράττων καὶ γεγονὼς ἐκ μητρὸς αἰχμαλώτου διὰ τὴν τύχην ἐβασίλευσε τῆς Ῥώμης· ἢ αὕτη μὲν ἡ μεταβολὴ μέγεθος ἐμφαίνει τύχης μᾶλλον ἢ μικρότητα, πάντων δὲ μάλιστα Σερούιος ἔοικε τὴν τῆς τύχης ἐκθειάσας δύναμιν ἐπιφημίσαι πράξεσιν ἁπάσαις; de se ipsum citra invidiam laudando, 11: τὸ μὲν εἰς τὴν τύχην, τὸ δ' εἰς τὸν θεὸν ἀποτίθεσθαι. Quo loco tychen liberam atque solutam praeter deum ut impersonalem vim dominari ostenditur. 11: ἀεὶ τὴν τύχην ἐπαινῶν. 12: καὶ τῆς τύχης ἔνια μᾶλλον, ἢ τῆς ἀρετῆς, ἐγκώμια λέγοντας.

VI. Postremo tyche funestam atque iniquam vim, fortunam malam hominibus adversam significat. Timoleon, 14: ἀλλ' οἵ τε χαίροντες ἐπὶ ταῖς συμφοραῖς διὰ μῖσος ἄσμενοι συνῆλθον οἷον ἐῤῥιμένον ὑπὸ τῆς τύχης πατήσοντες, οἵ τε πρὸς τὴν μεταβολὴν τρεπόμενοι καὶ συμπαθοῦντες ἐθεῶντο πολλὴν ἐν ἀσθενέσι τοῖς ἀνθρωπίνοις καὶ προδήλοις τὴν τῶν ἀδήλων αἰτιῶν καὶ θείων δύναμιν. Quo loco forti fortunae iniquae sapiens et inexplicabile deorum consilium acriter oppositum est. Hoc aliud quoque expromit Plutarchus, tychen, etiamsi nos gravissimis casibus petat tentetque, tamen misericordiam aliorum numquam eripere posse nobis rebus adversis afflictis. Aemilius Paulus, 26: ἐπίστευε μὲν οὖν μάλιστα τῷ Νασικᾷ κἀκεῖνον ἐκάλει· μὴ παρόντος δὲ κατακλαύσας τὴν τύχην καὶ τὴν ἀνάγκην περισκεψάμενος ἔδωκεν αὑτὸν ὑποχείριον τῷ

Γναίῳ, τότε μάλιστα ποιήσας φανερόν, ὅτι τῆς φιλαργυρίας ἦν ἐν αὐτῷ τι κακὸν ἀγεννέστερον ἡ φιλοψυχία, δι᾽ ἣν, ὃ μόνον ἡ τύχη τῶν ἐπταικότων οὐκ ἀφαιρεῖται, τὸν ἔλεον, ἀπεστέρησεν ἑαυτοῦ. 36: *λογιζόμενος ἀνδρείας καὶ θαῤῥαλεότητος ἀνθρώποις οὐ πρὸς ὅπλα καὶ σαρίσας χρῆσιν εἶναι μόνον, ἀλλὰ πρὸς πᾶσαν ὁμαλῶς τύχης ἀντίστασιν.* Tyche nostrae virtuti consilioque adversatur et repugnat, itaque utrique atrox semper pugna pugnanda est. Pelopidas, 10: *δεύτερον ἐπῆγεν ἡ τύχη χειμῶνα τοῖς ἀνδράσιν.* Lucullus, 2: *ἐπιστασίας συσταλέντος ὑπὸ τῆς τύχης.* Cim. et Luc. comp. 2: *ἀτελεῖς ἐγένοντο τῶν πράξεων, ὁ μὲν καθάπαξ διὰ τὴν τύχην.* Crassus, 21: *ὅσα συνήνεγκεν εἰς ὄλεθρον ἡ τύχη κακά.* Phocion, 1: *τῇ τύχῃ ἀντιταττομένῃ πρὸς τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας.* Demosthenes, 3: *εἰ γένοιτο τῇ φύσει καὶ τῇ τύχῃ καθάπερ τεχνίταις ἅμιλλα.* Saepe nobis virtute moribusque exornatis acriter pugnandum est cum incommodis rebusque adversis a fortuna nobis illatis. de fort. 1: *δαίμονι κακῷ καὶ τύχῃ χρησάμενος.* de Rom. fort. 3: *ὀργιζόμενον τῇ τύχῃ.* 10: *ἧς οὐδὲ τὴν ὄψιν οὐδὲ τὸν τρόπον ἠμαύρωσεν ἡ τύχη* [1]. de Alex. fort. I, 2: *τύχης ἀνταγωνιζομένης οὐ συμμαχούσης.* 13: *ἀλλ᾽ οὕτω δύσερις ἦν καὶ βάσκανος ἡ τύχη. — τύχης καὶ δαίμονος φθονεροῦ καὶ νεμέσεως ἔσται τὸ ἔργον.* de tranquillitate animi, 16: *πρὸς τὴν τύχην ἀδεῶς καὶ ἀτρόμως εἰπεῖν.* 17: *μόνην ταύτην τῇ τύχῃ λαβὴν δίδωσιν. — τῆς τύχης πάντα τἄλλα λεηλατούσης καὶ περιαιρουμένης. — τὴν φύσιν, ὡς μηδὲν ἰσχυρὸν μηδὲ μόνιμον μηδὲ ὑπὲρ τὴν τύχην ἔχουσαν.* Quae ad res externas pertinent, cum tyche plurimum valeat, tamen ingenium nostrum animusque minime ab ea mutari potest. 17: *ᾧ δέχεται τὴν τύχην. — πρὸς τὴν τύχην λέγοντας. — καὶ γὰρ ἡ τύχη δύναται νόσῳ περιβαλεῖν, ἀφελέσθαι χρήματα, διαβαλεῖν πρὸς δῆμον ἢ τύῤῥανον. κακὸν δὲ καὶ δειλὸν καὶ ταπεινόφρονα καὶ ἀγγενῆ καὶ φθονηρὸν οὐ δύναται ποιῆσαι τὸν ἀγαθὸν καὶ ἀνδρώδη καὶ*

---

1) Hanc historiam Servii ex Ocresia nati sumpsit Plutarchus ex Valerii Antiatis annalibus, quorum fragmenta conferas quaeso apud H. Peter, Hist. Rom. fragm., p. 154.

μεγαλόψυχον. 19: *δύνασθαι πρὸς τὴν τύχην ἀνεῳγόσι τοῖς ὄμμασιν ἀντιβλέπειν.*

Has partes sex, in quas tyches notionem partiti sumus, optime duabus rationibus subicere possumus; scilicet in prioribus quattuor partibus haec valet ratio, tychen adhuc indifferentem esse circa ea, quae ad res secundas et adversas pertinent, in posterioribus duabus contra ratio agnoscitur haec, tychen videri vim certam nec indefinitam, sed aut secundam propitiamque aut iniquam et adversam, ita ut contraria in tyches notione posita iam alterum ab altero dissoluta sint.

Restat ut consideremus, quantum tyches notiones, quas ex singulis locis cognovimus, iis, quae Plutarchus in scriptis moralibus explicat, suppleantur. Quem ad finem praecipue disputationes „de fortuna", „de Romanorum fortuna", „de Alexandri magni sive fortuna sive virtute" conscriptae et aliarum dissertationum nonnullae partes respiciendae sunt.

Plutarchus in parva „de fortuna' disputatiuncula [1]) illud a sapiente dictum: *τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία,* commemorans cum acerba ironia quaerit, nullane iustitia, aequitas, temperantia, modestia sit et in Aristidem, Scipionem, Philocratem, Lasthenem, Euthycratem, Alexandrum, Paridem, quorum facta ad certa vitia aut virtutes reducenda sint, an fortuna aliquid valuerit? Sed cum sint sine dubio temperantia, iustitia, fortitudo, fons quoque earum, sapientia prudentiaque, esse debet. Quae sapientia aliis in condicionibus alia videtur, modo abstinentia et temperantia, modo tolerantia et fortitudo, modo aequitas et iustitia. Si sapientiam prudentiamque praetermitteremus, omnes quoque aliae virtutes amitterentur, homines se fortis fortunae imperio subicientes nihil discerent nihilque praestarent. Deinde Plutarchus omnia quae hominum sensus membraque exsequuntur perficiuntque, ad naturam revocat et ad sapientiam rationemque ut ad primum fontem refert, qua bestiis antecellimus easque quamvis validiores et in primis sensuum subtilitate praestantes

1) Cf. Welcker, Griechische Götterlehre II, 809. F. Roesiger l. c., p. 14. L. Schmidt, Ethik der alten Griechen I, 60. E. Rohde, Der griechische Roman und seine Vorläufer, p. 280.

in nostram servitutem asserimus. Nam non corporis robur viresque dominantur, sed sapientia, quae minime est fortis fortunae. Ita nihil fortuna fit, sed omnia consilio sapientiaque perficiuntur. Artifices quoque et opifices omnia consilio perficiunt nihilque forte fit. Unum solum casum cognovit Plutarchus, ubi fors aliquid valuisse videtur. Nam cum pictor aliquis spumantem equum pingeret, omnia bene accidebant, spuma vero haudquaquam prospere coeptis succedebat, ita ut pictor iratus postremo spongiam tabulae affligeret: forte tum spuma simillima in conspectu data est. Quod Plutarchus solum fortis esse aestimat: *τοῦτο ἔντεχνον τύχης μόνον ἔργον ἱστορεῖται.* Musice ceteraeque artes atque ciborum vestiumque apparatus secundum naturae leges fiunt nec pendent e forte. Consilio rationeque nostra sumus ii, qui omnia in nostram servitutem asseramus et in omnia dominemur. Si vero nobis aliquid fortuna praebeat, dicam honorem, divitias, valitudinem, roborem, pulchritudinem, tamen eis sapienter uti fortunaeque dona nobis utilissima facere ratione tantum nostra et sapientia scimus ac possumus. Libello exeunte Plutarchus virtutis humanae conscientia elatus assentitur Prometheo Hesiodeo, cum nos adhortetur, ne ulla a Jove dona accipiamus, sed ad nostrum arbitrium agamus nostroque consilio et sapientia, quae perficere possimus, etiam re sine ullo auxilio nostra sponte perficiamus.

In primis Plutarchum in hac disputatiuncula, si fortunae notionem adhibet, fortem tantum casumque respicere, quem vel minimum valere ad res humanas negat, intellegimus. Quae omnino consentiunt cum eo loco (Sertorius, 10), ubi Plutarchus ad virtutem moresque minimi ponderis esse fortem neque eos in contrarium mutare posse constituit. Plutarchum vero non stare suis iudiciis nec sibi esse consentaneum, ex exemplo in fortis casusque gratiam allato (cap. 4) apparet, quod ei subtilius perscrutanti ad naturae causas legesque reducere facillimum fuisset. Quae inconstantia eo loco (Brutus, 47), ubi aequo modo fortem aliquid valere conceditur, affirmatur, ita ut, quae sensit Plutarchus de fortuna ut vi fortuita, obscura adhuc neque explicata perfectaque videantur. Quae ille acri certamine profert

omnes eos vehementer impugnans, qui fortem multum valere defendunt, haec ab ipso re saepissime refelluntur, cum saepe in historia conscribenda multum valere fortem casumque concedat. Nos autem nullam probabilem causam, qua aestimemus hunc libellum, quem Plutarchi esse quidam negant, non esse eius reperimus. Dico Muhlium [1]), qui libros a Plutarcho conscriptos memorans hunc silet. Sententiae formaque huius disputatiunculae Plutarchum esse auctorem nobis comprobant. Quantopere inconstantia incertaque de tyches natura ratio in universam Plutarchi philosophiam pertineat, affirmatur dissertatione „de fortuna Romanorum“ quae fertur [2]), ubi tyches notio iam mutata significatione nobis occurrit.

Initium primaque disputationis capita, cum sic exposita sint, quasi agatur res non quasi narretur, et eam imaginem exprimant, quae veluti in rem praesentem nos audientes perducere videatur, inter pulcherrima et perfectissima, quae scripsit Plutarchus, numeranda esse censeo. Virtutem et fortunam de Romanorum imperio certantes introducit, quarum utraque Romae magnitudinis auctor videri maximamque ad imperium vim sibi tribui vult, cum victrix victoriam adepta magna commoda obtinere omniaque crimina a se defendere, et virtus pulchra quidem prius, sed incerta dubiaque visa, tum certissima et constantissima videri possit quippe tam diu dona sua Romanis impertita. Ion poëta fortunam et virtutem, quamquam inter se dissimillimae sint, tamen simillimarum rerum causam fontemque dicit utramque homines gloriae potestatisque participes facientem. De mundi quoque natura rebusque naturalibus discrepant sententiae, utrum e forte fortuna an e sapientia ortae sint, quod de Romanorum quoque imperio quaeritur. Plutarchus virtutem et fortunam aequali modo ad Romanorum imperium constituendum plurimum valuisse censet. Sicuti ab igni et terra mundum profectum esse

1) Plutarchische Studien, Augsburg 1885.

2) Cf. L. Preller, Römische Mythologie, p. 554 sqq. F. Roesiger l. c., p. 14. Minime omnibus hic locis tyches notionem secundum Roesigeri sententiam ut fortem casumque caecum accipiendum esse, dissertatione procedente ostendemus.

Plato iudicat, ita virtus et fortuna se coniunxerunt, ut sacrum et benignum focum, ancoram rebus labantibus ac fluctuantibus constituerent. Cum prius omnia inter se nullo modo terminoque dato certarent, postea Roma exstitit, ut vires colligeret eisque firmitatem praeberet ac forum mundi fieret; quam qui talem fecerunt, virtute exornati praeditique fortuna prospera usi sunt. Virtutem iam ad certamen quieto pede ac sereno vultu progredientem comitantur et subsequuntur Fabricii, Camilli, Lucii Cincinnati, Maximi Fabii, Claudii Marcelli, Scipiones, Gaii Marii, Mucii Scaevolae, Marci Horatii. Sed tyche virtutem longe praecurrit; Persis Assyriisque relictis Macedoniam pervolans Aegyptum et Syriam permigrata Carthagine relicta nunc, cum ad palatium accedat, alis depositis Romam intravit, ibi mansura neque infida vel incerta est nec duplicem rudentem tenet, sed multo magis soror iustitiae et persuasionis, providentiae filia dici potest. Nobiles praeclarique viri eam sequuntur, Numae Pompilii, Tarquinii Prisci, Aemilii Pauli, Caecilii Metelli, Aemilii Scauri et in primis Cornelii Sullae.

Romanos ipsos magis fortunam quam virtutem veneratos esse ostendunt multa templa in fortunae honorem exstructa, quibus enumeratis Plutarchus non solum C. Caesarem in magnum periculum mari delapsum fortuna sua confisum et omnino semper fortunam complexum esse, sed etiam Caesarem Augustum eam veritum esse enarrat. Tum Romanas res gestas ab initiis animo repetens et perscrutatus permultos casus eventusque reperit Plutarchus, ad quos tyche plurimum valuit et quorum potissimum principia causasque tyche posuit, virtute inchoatas modo res exaedificante. Quod praecipue Romuli iuventute affirmatur, quam diligenter tuita esse fortuna bona videtur. Nisi tyche rerum fundamenta iaceret primaque initia inchoaret, nullam haberet virtus occasionem, praesentem propitiamque se praebendi. Tum e vetere Romanorum historia auctoritas Numae Pompilii et Servi Tullii affertur, e recentiore vero praeter multa alia, quomodo Roma a Furio Camillo sit liberata, enarratur, ut quantum in universam Romanorum historiam pertinuerit valueritque tyche, ostendatur. Sed cum

postrema declamationis pars mutila ac trunca nobis tradita sit, deest prae ceteris virtutis oratio, qua contra magnam tyches auctoritatem se defendit, ac praecipue, quantum ipsa valuerit ad Romae magnitudinem gloriamque, praedicat.

Qua ex dissertatione primum apparet Plutarchum magna Romani imperii admiratione, quam apud Polybium quoque et Dionysium reperimus, imbutum esse, cum praedicet laudetque Romam labentibus priorum temporum rebus finitis gentes nationesque vehementer cum se coniungentem perpetuam pacem paravisse.

Jam Polybius quaestionem tractans, ad Romanum imperium utrum fortuna an virtus maioris ponderis fuisset, ostendit, minime fortuna, sed iusto ac necessario ordine factum esse (II, 42), ut Romanorum virorum virtutes ac mores gravissimis temporibus hanc fortunae benevolentiam ac favorem paravissent. Quam quaestionem Dionysius quoque Halicarnassensis simili modo tractans eodem sicuti Polybius sensu atque opinione absolvit, cum dicat Romanum imperium, omnium praeclarissimum ac iustissimum, non per fortunam vel *δι᾽ αὐτοματισμόν τινα καὶ τύχην ἄδικον* (I, 4), sed per virtutem, rei gerendae artem, pietatem, moderationem ex immutabili illa naturae lege, qua fortiores ac meliores semper de infirmioribus ac peioribus triumphant, procreatum et auctum esse. I, 5: *φύσεως γὰρ δὴ νόμος ἅπασι κοινός, ὃν οὐδεὶς καταλύσει χρόνος, ἄρχειν ἀεὶ τῶν ἡττόνων τοὺς κρείττονας*. Cum Graeci perfacile crederent se a Romanis fortuna adiutis victos esse, controversia saepe repetita fuisse videtur, Romani utrum fortunae an virtuti plus debeant. Perspicuum est Plutarchum, si hanc quaestionem tractabat, eandem sicuti Polybius et Dionysius sententiam expressisse, cum quamvis acerrimus patriae suae civis tamen sano iudicio praeditus ignorare non posset Graeciam senescentem sola crescente ac integra Romanorum virtute ac robore victam esse. In re tractanda Plutarchus Polybium secutus esse videtur, cum recipiat Romanum imperium antea omnibus rebus permixtis et fluctuantibus secundum deorum consilium ut mundi focum ac forum procreatum esse, novum regnum, in quod omnis potestas ac humanitas

quasi in unum corpus confluxerit. Polybius praedicat tychen probis modo et optime meritis dona sua tribuere et Romanos dignissimos consiliorum suorum ministros elegisse (I, 58; IV, 81; X, 33; XV, 23). Simili modo Plutarchus quoque enuntiat tychen Romanos ea de causa adiuvisse, quod ii per suam ipsorum virtutem plurimum praestantes fortuna digni inventi sint.

In rebus Romanis florentibus cum Plutarchus divinam providentiam apparere censeat, manifestum est eum in hac declamatione tychen, cui maximam ad Romanas res gestas vim tribuat, non fortem casumque caecum, sed obscuram esse vim putare, quae aeque hominibus fortunam ac res secundas impertitur, quin etiam providentiam atque numen divinum, quod hominibus et gentibus fata sortesque praedestinat omniaque consilio ad bonum finem adducit. Qua ratione considerantibus resque spectantibus haec dissertatio certo quodam consilio scripta habenda est, quae late diffusam Graecorum sententiam impugnet, quae fuit Romanos forte tantum et bona fortuna Graecos superasse. Quocontra Plutarchus, sicuti iam Polybius et Dionysius tentavere [1]), ostendere vult Romanos primum per suam ipsorum virtutem honores gloriamque assecutos providentiam, quae nobis hic sub tyches notione ac nomine occurrit, adiuvisse eorumque imperium auxisse [2]). Qua cum cogitatione non solum multi vitarum loci consentiunt, ubi tyches notio eadem significatione adhibetur [3]), sed ei etiam universa Plutarchi historia respondet, cum Romanum imperium praecedentis progressionis finem fuisse ostendat, sicuti Polybius, Romam paullatim imperium omnium gentium adeptam esse, *κάλλιστον ἅμα καὶ ὠφελιμώτατον τῆς τύχης ἐπιτήδευμα* dicit. Iam vero cognovimus, quantum differat Polybii ac Plutarchi ratio historica. Cum Polybius non solum nudas res enarrans,

1) Cf. F. Baur l. c., ubi pragmaticam historiae rationem apud Polybium eandemque ethicam esse ostenditur, cum tyche absolute aequa iustaque sit et omni homini gentique locum ei debitum concedat.

2) K. Lehrs, l. c., p. 186 sq.

3) Camillus, 13; Aemilius Paulus, 22; Nicias, 11, 17; Demosthenes, 19.

sed etiam rerum causas alias ex aliis aptas et necessitate nexas explicans ac commentans omne studium in severa veritate ac fide ponat, novas autem res et politae orationis elegantiam minoris ducat [1], Plutarcho notionem historiae paullatim progredientis minus curanti nondum plane manifestum ac persuasum est, quantam et qualem in historia inter se rationem habeant ea, quae faciunt, atque ea, quae efficiuntur, cum saepius singulas res solenter ac forte factas neque antecedentibus contineri neque insequentia praeparare existimet. Quare Plutarchus totius orbis terrarum historias componere non potest, sicuti Polybius, qui unum tempus sub una ratione ponit consideratque ac sub dominationem unius communis intellegentiae subicit. In Plutarchi historia in singulas partes divisa rebus privatis ac fabellis gravissime pertractatis historica ratio minus valet, plus gravitatis ac ponderis habet ethica morum ac virtutum aestimatio ac rectae honestaeque vitae ratio, quae omnium Plutarchi sententiarum summa est [2]. Plutarchus, cum ipse saepissime affirmet [3] se minime historiam severam velle scribere, philosophus habendus est, qui de rebus philosophicis populariter disserens homines et honestiores et doctiores facere vult [4]. Rerum causas saepe in fortuita continuatine serieque rerum ponit, ita ut necessario tyche latius vagari possit virtute; cui cum explicatione opus sit, tyche facile ad obscuram et arcanam vim reduci potest [5]. Qua ex re mirabile illud apparet, Plutarchum, qui cum omnino multis locis tychen esse atrociter negat, tum in libello „de fortuna" illam notionem ut fortis casusque caeci vehementer reprobat et con-

---

1) Cf. P. La-Roche, Charakteristik des Polybius, Leipzig 1857. W. Markhauser, Der Geschichtschreiber Polybius, seine Weltanschauung und Staatslehre, München 1858. F. Baur, l. c. Scala, Die Quellen des Polybius. I.

2) O. Gréard, l. c., p. 330: „C'est la vérité morale, non la vérité historique, qu'il poursuit." In Polybii operibus pragmaticam historiae rationem esse eandemque ethicam supra vidimus.

3) Cf. Nicias, 1; Galba, 2; Timoleon, 1; Alex. 1.

4) J. Muhl, Plutarchische Studien, Augsburg 1885.

5) Cf. R. Volkmann, l. c. I, 44sqq.

temnit, hoc loco, ubi de Romano imperio a providentia constituto agitur, ubi tyche quasi ut divinum aliquod numen procedit, ei ingentem vim tribuere. Romanum imperium Plutarcho a diis inventum et constitutum esse videtur, quod hominibus perpetuam pacem afferat. Virtuti autem, ut res humanas adiuvet et augeat, in primis occasiones potestatis suae ostendendae tribui necesse est, quas quidem tyche tribuit, quae ab urbe condita omnium bonorum eventuum expers eisque propitia blandiebatur. Uti tyche singulorum hominum fata sortesque constanter componit, ita gentium quoque res gestas consilio regit ac praecipue in imperio populi Romani constituendo et augendo nihil sibi reliqui fecit. Itaque nobis suprema lex et summa iustitia et prae hominum voluntate gravissima ad hominum ac gentium res bene gerendas vis esse videtur.

Iam vero aliam significationem habet tyche in tertia, quae ad nostrum finem potissimum spectat, dissertatione, cui inscribitur „de Alexandri magni sive fortuna sive virtute“. Cum in dissertationibus antea tractatis et fors casusque caecus plerumque denegetur et tyche ut divina providentia sapienti consilio exornata, praesertim quod ad Romanam historiam attinet, concedatur, hac in dissertatione nobis tyche salutaris propitiaque vis esse videtur, quae omnia bona eventa ad suam auctoritatem reduci vult.

Iam ante Plutarchum saepius tractatum erat, utrum praeclara Alexandri facta magis ad fortunam an virtutem referenda sint. Conicere possumus diadochorum rerum scriptores diadochos et epigonos fortunae filios praedicantes Alexandri quoque facta ad magnam tyches auctoritatem rettulisse [1]). Praeclara eius et vires humanas quasi excedentia facinora ea erant,

---

1) Cf. Birt, Elpides, p. 65 sq.: „Auch auf Alexander selbst stand man nicht an zu verweisen als auf das vornehmste Beispiel für das Walten der Tyche. Bei den Grofsthaten Alexanders verweilte die Phantasie mit Vorliebe und steigerte und vergröfserte sie zum Märchenhaften, die Motive aber verkleinerte man, die den Aufserordentlichen bewegten; der Vorkämpfer griechischer Kultur wurde zum Urbild des Glücksritters; erst so konnte er im Volk weiter leben.“

quae non nisi graviore quadam atque obscura vi effici potuisse viderentur. Ut alios praetermittam, Livius, cum Alexandrum commemoret (IX, 17—18), quaerit, qualem habiturum fuerit exitum Alexandri contra Romanos bellum. Ut acerrimus Romae civis censet Livius Romanum imperium ab Alexandro nunquam vinci potuisse, quamquam concedit Alexandrum excellentem fuisse ducem; sed clariorem eum fecisse fortunam, cum adulescens mortuus sit, priusquam adversae fortunae versabilitatem expertus sit. Romanos duris et longis bellis corroboratos etiam Alexandri vim repellere potuisse. Apparet Livium hic iniustam aperire de Alexandro sententiam, cum non sine ira et studio rem consideret. Statuere possumus hanc quaestionem etiam auctores Livii tractasse. Nec erit falsum, si conicimus de hac sophistas quoque in scholis pro et contra locutos esse, ita ut propter controversiam ad disputandum aptissimam saepius discipulorum declamationum argumentum fuerit. Plutarchi quoque dissertatio nihil aliud est quam eiusmodi scholastica declamatio; sed videamus, quomodo Plutarchus rem tractet.

Fortunae etiam ad Alexandri magni facta plurimum se contulisse contendentis ac defendentis arrogantiam Alexandrum ipsum refellentem et redarguentem facit, monstrantem, quantas ac quam multas difficultates superaverit fortuna magis adversa et impediente quam favente ac secunda. Quae fecit, ea virtutibus propriis, magnanimitate, prudentia, temperantia, fortitudine perfecit. Non alienae vires eum adiuverunt et auxerunt, sed animi virtute et praestantia, in primis vero subtiliore et politiore doctrina et humanitate tam egregias res talesque successus persecutus est, ita ut plus Aristoteli magistro quam Philippo patri debuisse videatur. Ex omnibus eius dictis et factis philosophum fuisse apparet, sed magnum eius aliorumque philosophorum discrimen et discrepantia in eo posita est, quod Graecorum studia et artes ad alienas gentes barbarosque deducendo atque eos mores et humanitatem docendo manifestos successus et progressus effecit et in lucem protulit. Graecos et barbaros in unius populi pacati corpus confundere ei summum propositum erat, quod maxima gloria peregit et exsecutus est sua ipsius virtute nec fortuna adiuvante. Multis

documentis iam per singulos casus ostenditur, quam parvam vim contulerit fortuna ad Alexandri magni res gestas. Fortunae auxilium Alexander promeritus est, cuius summa res semper erat, secunda occasione a fortuna data sapienter uti.

In altera eadem de re oratione (cuius in aestimatione Volkmanno [1]) adstipulamur, qui eam Plutarchi esse contra Schaeferum defendit) quamquam multae repetitiones inveniuntur, tamen plerumque, quae narrantur, alio contextu aliaque ratione dicta sunt, ita ut nova exempla et argumenta afferant remque iam prima oratione inchoatam, at in medio relictam longius prosequantur. In primis Alexandri magni tempore fortunam multas artes et ingeniosos artifices, duces, philosophos procreasse et elicuisse conceditur, quae res Alexandrum minime adiuvisse videtur, sed re inversa ostenditur omnibus his artibus et artificibus commodissimum et prosperrimum fuisse, eos Alexandri temporibus exstitisse, at vero Alexander solus huius aetatis efflorescentis auctor praedicatur. Scriptor illustrissimas et clarissimas eius virtutes laudat ut omnium bonorum eventuum causas fontesque. Quin etiam fortuna Alexandri magnitudini gloriam suam debet, cum moribus modo Alexandri, qui semper sapienter ea sit usus, tantam auctoritatem atque vim adepta sit. Vir infirmus atque minoribus ingenii facultatibus praeditus fortunae nullam occasionem causamque gloriae comparandae praebet; nam hominem imbecillum non sua ipsius virtute, sed fortuna modo increscentem brevi infirmum et miserabilem agnoscimus; sed viri constantia atque omnibus ingenii ac corporis virtutibus praediti est, fortunam adversam et iniquissimam impugnare ac superare. Rebus adversis et ipsa tyche repugnante Alexander clarissima facta suis ipsius virtutibus, pietate, fide, temperantia, benignitate, fortitudine, magnanimitate, humanitate, liberalitate, firmitate, constantia perfecit. Si omnes omnium temporum clarissimorum virorum virtutes colligimus, Alexandri gloriam ac magnitudinem animo effingere et concipere possumus. Quae virtutes iam

1) Über die Echtheit von Plutarchs zweiter Rede von Alexanders Glück oder Verdienst. Fleckeisens Jahrb. 101 (1870), p. 816 sqq.

singillatim describuntur atque exemplis ostenduntur Plutarcho etiam atque etiam sententiam expromente: Non fortuna, sed sua ipsius virtus Alexandrum ad tantam auctoritatem et gloriam sustulit.

Scriptor igitur omne ingenium ad Alexandri gloriam laudemque celebrandam fortunae impendio contulit. Nos autem non tam perspicua atque imperatoria Alexandri dignitas tenet neque illud, fortunam aliquid ad eius facta valuisse negari, quam praecipue gravissima illa res, omnino tychen recipi et quasi sanciri, quae in his orationibus significationem potestatis salutaris ac propitiae habet. Iam illa simplicissima ac supervacanea Plutarchi opera, qua Alexandri gloriam vel minimi tyches ponderis expertem nec vero minorem esse demonstrare conatur, nobis comprobat, quam ei manifesta fuerit tyches auctoritas, quae quantam vim ad hominum ac gentium res gestas habuerit in his ipsis orationibus multis exemplis comprobatur. Plutarcho tyche vis modo secunda et salutaris, modo adversa et impediens esse videtur, cuius causas ignoremus et quam nostra ipsorum virtute promereri, sed etiam nostro tantum consilio sapienter et ad nostrum usum accommodate uti possimus. Nam non cum fortunae bona accipiamus, sed cum sapienter adhibeamus, nos iis dignos esse ostendimus. Sed Alexander etiam tyche favente magnus et praeclarus videretur, cum ea tam sapienter usus eamque in primis sapientia sua et labore assiduo promeritus esset. In his igitur orationibus tyche neque ut in libello „de fortuna“ fors casusque caecus neque ut in dissertatione „de Romanorum fortuna“ divinum quoddam numen et providentia omnia suo consilio regnans esse videtur, sed duae tyches significationes ut numinis aut salutaris aut iniqui seiunctae sunt ac tyches notio praecipue ad finis aut secundi aut adversi rationem exquisita et explorata est, quam rationem etiam permultis vitarum locis sub capitum numero quinto et sexto allatis reperimus.

Simili modo Plutarchus fortunam etiam in libello, cui inscribitur: „de se ipsum citra invidiam laudando“, affert, ubi (cap. 11 et 12) nobis suadet, ut bonum nostrorum factorum eventum invidiae evitandae causa vel fortunae vel deo tribuamus et assignemus. Gloria magna magnum onus est, cum invidiam

et odium nobis contrahat, hominibus magis patientibus ac ferentibus, ut aliorum fortuna quam ut virtute exsuperentur; nam virtutis defectus in nostrum caput incidit, sed ut fortuna careamus, non stat per nos.

Vis hominibus omnia mala atque incommoda inferens tyche esse videtur in libello „de tranquillitate animi", ubi (cap. 16—19) tyches auctoritas in exiguum angustumque concluditur. Etiamsi fortunae nobis morbum incutientis, omnes divitias detrahentis, populi ac regis odium et invidiam afflantis impetus tolerare non possumus, tamen eadem sacerrimis donis, quae tamquam meliorem nostram partem maximi aestimamus, scilicet consilio nostro et virtute, nos numquam privare nec bonos, fortes, magnanimos homines inhonestos, ignavos, malos reddere potest. Qualis cogitatio sola nos iniustam tyches dominationem intuentes consolari potest, cum perspicuum hominis desiderium sit, ut aequum fortunae et virtutis modum in rebus gestis reperiamus. Quae humana ratio et hic et multis aliis locis stoicum colorem prae se fert, fuitque Plutarchus quamvis stoicos vehementer impugnaret ab eorum sententiis minime abalienatus [1]). Itaque non ignorandum est ad Plutarchum stoicorum doctrinam plerumque quidem a se amoventem, sed non omnino repudiantem stoicas quoque sententias aliquid valuisse [2]). Quamquam omni modo pro Platone stabat et, quae ad principia pertinent, eius doctrinam acceperat, tamen Aristotelis quoque scripta cognita habuit et praecipue Theophrastum secutus est [3]). Sine dubio Plutarchus philosophicis litteris penitus eruditus erat, ita ut ei nulla Graecorum philosophorum schola ignota esset. Sed proximus erat Platoni, quem sine ulla condicione imitabatur; singulos autem Platonicos saepe acri iudicio percensebat.

---

1) Stoicos in tribus illis „de repugnantiis Stoicis", „stoicos absurdiora poëtis dicere", „de communibus notitiis" et Epicureos in scriptis „non posse suaviter vivi secundum Epicuri decreta", „adversus Colotem", „de latenter vivendo" impugnat Plutarchus.

2) Cf. Überweg, Geschichte der Philosophie II. ed. 1865. I, 210. E. Zeller, l. c. III. 2, p. 159sqq. J. Muhl, Plutarchische Studien, Augsburg 1885, p. 92.

3) Cf. L. Schmidt, l. c. I, 40.

Illud, nostram virtutem a fortuna nullo modo mutari posse, etiam in libello, quem non integrum nobis traditum valde dolemus, cui inscribitur „consolatio ad uxorem“, reperimus. In capite huius libelli octavo coniugem suam adhortatus, ut gravem casum a fortuna missum toleret, tychen quasi providentiam dicit, quae omnia regat atque adversus quam fremere homini non liceat, cum semper optime evenerit, si homines voluntatem deorum vel tyches, id est providentiae, comprobaverint et amplexi sint. Sed iam in sequente capite Plutarchus alia tyches significatione usus demonstrare vult, omnes motus fortunae mutationesque rerum et temporum ad vitam constituendam minimum valere, cum omnia a nostra ipsorum conscientia pendeant, quam nostro tantum consilio ac virtute comparare possimus.

Et haec quidem hactenus. Iam vero si tandem summam nostrae inquisitionis complectimur, intellegimus in Plutarchi scriptis praeter frequentem tyches ut deae notionem etiam tychen ut vim regnantem ac dominantem versari, quae prae diis personalibus ut vis impersonalis, ignota, inexplicabilis ad hominum vitam plurimum valeat. Cuius potestatis in primis casus fortuitos et mutabiles proprios esse exempla sub numero tertio ac quarto allata ostendunt. Finem exitumque, quem fortuna rebus tribuit, et secundam et adversam esse posse exempla sub numero quinto ac sexto allata ostendunt; nam contraria in fortunae notione posita saepius seiuncta sunt, ita ut tyche praecipue in rebus, quae iam in effectu sunt, aut salutarem aut iniquam suam vim et auctoritatem exerceat. Miramur, quod Plutarchus tychen perraro malorum factorum ultricem nominat ac de iniustitia eius modo bonos punientis modo malos praemio ornantis ea tantum condicione loquitur, si universe de infirmitate et mutabilitate fortunae agit.

Si ex iis, quae de fortunae apud Plutarchum notione aperuimus et annotavimus, de historica eius ratione coniecturas facimus, primum summa magis per detrectationem, quam per positionem facienda est, cum nobis concedendum sit apud Plutarchum, qui notione in diversas partes varie utatur nec alteram tyches significationem acriter ab altera dividat ac

saepius duas significationes misceat, certam notionis rationem ac disciplinam non posse agnosci. Plutarchus saepissime notionem proferens et adhibens eius gravitatem et pondus numquam diligentius perspexit et intellexit, ita ut nec consecutiones praestare possit, ex quibus quae sit historica eius ratio, efficiendum et cogendum sit. Iam supra exposuimus, quam saepe in nostri quoque temporis historia conscribenda notiones „Glück, Zufall, Vorsehung, Schicksal“ proferantur, quamquam a severa historiae disciplina in primis ad rerum causas spectante negleguntur et repudiantur.

Deinde respiciendum est Plutarchum tyches notionem saepius non ex suo consilio ac ratione afferre, sed ab alio scriptore mutuari et assumere [1]. Plutarchum in fontibus eligendis et adhibendis minus diligenter egisse iam supra ostendimus. Constat Plutarchum saepius, quod ad iudicium attinet, infirmum et aliorum sententiis subiectum atque obnoxium esse et ipsis locis, ubi suam ipsius opinionem et privatam persuasionem exprimere videtur, aliorum doctrinam proferre. Quare Plutarchus ad cogitationes rationesque totius prioris aetatis cognoscendas gravissimus auctor esse videtur [2] ac fontibus diligentius inquirendis exponendum est, quibus ex fontibus vel auctoribus Plutarchi moralia, quae dicuntur, praecipue pendeant [3]. Sed concedendum est Plutarchum, ubi tyches notionem prompto animo ac libenter accepit, eam omnino probasse, ita ut varia notionis in scriptis suis significatio ubique ex sua ipsius persuasione ac consilio facta esse videatur.

---

1) F. Roesiger, l. c., ostendit Plutarchum in vitis Pyrrhi, Arati, Agidis, Cleomenis, in quibus Phylarchum auctorem habet tychen perraro afferentem, res minime ei tribui velle. Sed Duris, alius Plutarchi auctor, propensus est et operosius molitur ad animos orationis expolitione movendos, quam Plutarchus quoque secutus est, ita ut in partibus, ad quas Duridem magnam vim habuisse cognitum est, aequali modo ac Duris de tyches imperio disserere studeat. Vitam Demosthenis, quae praecipue ex Duride pendet, Plutarchus ad suum arbitrium retractavit.

2) Cf. L. Schmidt, l. c. I, 40.

3) M. Treu, Zur Geschichte und Überlieferung von Plutarchs Moralia. I, Waldenburg 1876.

Ex varia tyches significatione minime de levi scriptoris historica ratione, tamquam res ad obscuras et fortuitas causas parum diligenter reduxerit, concludendum esse apparet in primis ea ex re, quod omnes res psychologice et ex intimo animi impulsu explicare studet. Perperam iudicaremus, si ex significationibus varie adhibitis leviter de psychologica arte deficiente coniecturas faceremus, quae in scriptis Plutarchi quamvis plerumque non sufficiat ille in rerum causis proferendis, maximi aestimanda est. Simulatque hominum perspicax prudentia et sagacitas ad idoneam explicandi rationem ex rebus vel moribus humanis eruendam non sufficit, vis invocanda est, quae prae hominum voluntate plurimum valeat ad res gerendas. Quod quidem tyche praestitit. Quam cum Plutarchus agnoscat, suae aetatis doctrinam plane sequitur. Postquam priore tempore dii soli ultimarum causarum auctores fuerunt ac *μοῖρα* quoque imperium suum deposuit, illa impersonalis vis sub tyches nomine manifesta summa causa omnium rerum esse videtur; nec dii imperium plane amiserunt [1]). In ipso Plutarcho pietas erga deos maxima praeponderat ac persuasio summi divini numinis, quo sine ulla condicione fretus est, praevalet, ardetque beato desiderio, ut providentia in diis maxima agnoscatur. Mala tantum ac scelera minime e diis pendent, sed malae voluntati hominum adscribenda sunt, quorum culpa efficitur, ne res adversas a fortuna immissas tolerare et superare possint.

Ipsa tyche divina quaedam vis est, tam potens et valida, ut etiam deos praestare videatur. Itaque tempore procedente magna mutatio incesserat [2]). Novae doctrinae Plutarchus

---

1) L. Schmidt, Ethik der alten Griechen I, 58: „Überhaupt mufs man sich immer gegenwärtig halten, dafs der Gegensatz der Tyche gegen das Wollen der Menschen durchweg sehr viel schärfer im Bewufstsein lag als der gegen die göttliche Vorsehung, und dafs, wenn man jene nannte, damit ebenso wenig die Leugnung dieser ausgesprochen war, wie ihre Behauptung.“

2) H. Meufs, l. c., memorabile illud ostendit, Atticorum oratorum tempore tyches notione exsistente et apparente deorum cultum nullo modo neglectum esse.

quoque favet, qui magnam illius obscuri impersonalis numinis auctoritatem ac vim complectitur et asciscit, at simul psychologice vel ex natura res explicare studet [1]), quarum causas ad hominum voluntatem ac consilium reducere mavult, vehementer libertatem humani animi, quodcumque sibi imperet, obtinentis neque e causis externis pendentis defendens. Ac si quid ex sua natura explicari et exponi non potest, tum quasi deus ex machina tyche ut ultima rerum causa prodit, quae obscure et inexplicabiliter omnia gubernat, ita ut nemo eius naturam perspicere aut intellegere possit. Etiamsi tyche gravissimas hominum cogitationes et voluntates non potest mutare nec bonam conscientiam gravius permovere, tamen eo magis plurimorum hominum sortes ex libidine tyches pendent omnia mortalium consilia importune ac parum reverenter tollentis aut disturbantis [2]). Qua re Plutarchus in dissensionem incidit, quam saepe acerrimis verbis exprimit.

Itaque iam, quod ad philosophicam Plutarchi rationem attinet, eo adducimur, ut intellegamus eum nullo modo unam ex iis, in quibus illae doctrinae vehementissime ac simul diversissime pertractabantur, scholis sequi potuisse. Nam stoicis praedestinationem necessario eventuram credentibus et Epicureis omnia forti cuidam ac casui tribuentibus, Plutarchus mediocritatem, quae est inter nimium et parum, tenere vult, cum res gestas praecipue ab hominum consiliis repetat.

Plutarchus in hoc et multis aliis Platonem sequitur, cum rerum necessitudinem rationis imperio teneri consentiat et fortunam secundum illud Alcmanis providentiae filiam nominet. Qualem habeant inter se rationem humanae et divinae res, Plutarchi quoque aciem omnino fugit. Sine dubio ex illa tyches notione nihil concludere possumus de divina mundi gubernatione, utrum eam agnoverit an negaverit. Quam eum agnovisse ceterum ex omnibus eius scriptis apparet. Renovatam

---

1) Cf. E. Dassaritis, Die Psychologie und Pädagogik des Plutarch. Diss. inaug. Erlangen 1889.

2) E. Rohde, l. c., p. 277.

illam e Platonis philosophia doctrinam non unius disciplinae legibus astrictam, quae cum Pythagorea philosophia coniuncta erat et causam religionis defendendam susceperat, professus omnino Platonis idealismum repraesentavit ac defendit, et propria sua pietate ac religione et ab Epicuri impietate et a stoicorum ratione mundum ipsum deum consentium recessit, sed ad Platonis pietatem et dei comprobationem adductus est.

Sed enim, quid cogitaverit Plutarchus de diis ac mundi gubernatione nostra non interest, nisi quatenus tyches notione illustretur, ita ut philosophicam Plutarchi doctrinam diligentius perscrutari omittendum nobis esse videatur, praesertim cum ea iam saepe ab aliis accuratius explicata sit [1]). Immo nobis sufficiat, quod tyches notionis varias significationes in Plutarchi operibus exhibitas planius cognovimus ac pertractavimus et simul novas quamvis exiguas ac tenues symbolas ad clari rerum gestarum scriptoris ac morum praeceptoris rationem diligentius percipiendam contulimus.

Ad extremum nostri iudicii summam aperientes censemus Plutarchum, simulatque in tyches notionis significationem in moralibus suis, quae dicuntur, planius declarandam inruat, eius vim atque auctoritatem detrectare, cum hominum sortes plerumque ex ipsorum consilio ac virtute pendere iudicet, sed eundem re vera in rebus gestis enarrandis saepius ad tychen confugere eiusque potestatem agnoscere.

Sed absolvamus iam hanc dissertationem, quae ne brevem

---

1) Eichhoff, Über Plutarchs religiös-sittliche Weltansicht, Elberfeld 1833. H. Schreiter, De doctrina Plutarchi et theologica et morali, Lipsiae 1836. Zeitschrift für hist. Theol. VI. G. Nitzsch, De Plutarcho theologo et philosopho populari. Ind. lect. Kiel 1849. C. G. Seibert, De apologetica Plutarchi Chaeronensis theologia. Diss. inaug. Marpurgi 1854. R. Volkmann, Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chäronea, Berlin 1869. Stein, Geschichte des Platonismus II, 260 sqq. O. Fabricius, Zur religiösen Anschauungsweise des Plutarch, Königsberg 1879. O. Gréard, De la morale de Plutarque. III. ed. Paris 1880. W. Moeller, Über die Religion Plutarchs, Kiel 1881. E. Zeller, Die Philosophie der Griechen. III. ed. Leipzig 1881. III. 2, p. 159 sqq.

quidem Graecae religionis historiae partem, sed materiae solum apparatum ad eam tractandam praebere vult. In primis hoc fundamentum sit inquirendi, quibus ex fontibus Plutarchus suam de tyche sententiam hauserit, quam quidem quaestionem mox forsitan mihi aggredi contingat.

Vita.

Natus sum Eugenius Lassel Coronae Transsilvaniae a. d. VII Cal. Jan. anni h. s. LXVIII patre Eugenio, matre Friderica e gente Schreiber, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Confessioni adscriptus sum evangelicae. Elementis litterarum imbutus per octo annos gymnasium ev. sax. patriae urbis frequentavi. Anno LXXXVI maturitatis testimonio accepto Marpurgi Cattorum adscriptus sum civibus Academicis, ubi per duos annos philologis adprime et theologicis studiis operam dantem valde me auxerunt illustrissimi viri: Bergmann, Birt, Fischer, Koch, Lenz, Schmidt, de Sybel, Wissowa. Proseminario philologo, quod regebat Wissowa, per tria semestria interfui et regii seminarii philologi, quod regebant Birt et Schmidt, sodalis ordinarius fui per unum semester. In societatem philologam benigne me recepit Birt. Anno LXXXVIII in academiam Budapestensem me contuli, ubi per unum annum scholas frequentavi virorum illustrissimorum: Abel (†), Beöthy, Heinrich, Kassai, Mayr, Pecz, Simonyi, Thewrewk. Particeps fui exercitationum seminarii philologi, cui praeerat Thewrewk. Anno insequenti Berolinum me contuli, ubi per bis senos menses scholas frequentavi virorum doctissimorum: Curtius, Dilthey, Ebbinghaus, Paulsen, Robert, Schmidt, de Treitschke, Vahlen, Wattenbach, Zeller. Marpurgi et Berolini theologicis quoque studiis deditum docuerunt me viri illustrissimi: de Baudissin, Harnack, Herrmann, Kaftan, Lommatzsch, Ranke (†), Steinmeyer, Weiss. Hisce praeceptoribus autem cum omnibus tum Birtio, dissertationis inauguralis suasori et studiorum meorum fautori, quorum cura ac benignitate saepe ornabar, gratias ago quam maximas gratiamque habebo sempiternam.

Typis Frid. Andr. Perthes Gothae.